Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Georg Dorsche Augustinus Arisaeus Matthias Peterssen

Dissertatio Epistolica Ad Augustinum Arisaeum Studiosum Genevensem, De SS. Coena Et Persona Christi : An. Chr. cI Ic XLIV. instituta

Rostochi[i]: Richelius, 1657

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740012614

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

R U theol 1657

Johann Georg Dorscheus

Verf.: Matthias Petersen

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740012614/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740012614/phys_0002
DFG

DISSERTATIO EPISTOLICA
AD
AUGUSTINUM ARISÆUM
STUDIOSUM GENEVENSEM,
DE
SS. COENA ET PERSONA CHRISTI,
An. CHR. cIↃ IↃC XLIV.
instituta
AUTORE
JOHANNE GEORGIO DORSCHEO,
DOCTORE THEOLOGO,
nunc ad disputandum
DEO propitio
proposita Mens. Martio die XIV.
RESPONDENTE
MATTHIA Petersen/
ROSTOCHIENSE.

ROSTOCHI,
Typis Johannis Richelii, Senatûs Typogr. 1657.

Universitäts-
Bibliothek

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740012614/phys_0004
DFG

AD

DISSERTATIONEM EPISTOLICAM

inter

AUGUSTINUM ARISÆUM

STUDIOSUM GENEVENSEM,

&

JOHANN. GEORG. DORSCHEUM, D.

DE SS. COENA & PERSONA JESU CHRISTI.

PROOEMIUM.

INfelicitatem *Ecclesiæ Basileensis* multoties lacrymis amarissimis deploravimus Argentorati, qvi veterem ejus, ante JOH. JACOBUM GRYNÆUM, statum & cum Ecclesiis invariatæ Aug. Confessionis arctissimam conjunctionem in memoriam nobis revocavimus. Ipse JOHANNES OECOLAMPADIUS in principio in materia de Cœna orthodoxè ferè informavit Auditores suos in sermone *de digna Veneratione Corporis Christi*, ex qvo vide excerpta mea *in Considerat. declarationis sententiæ* D. THEOD. ZVINGERI *de S. Cœnâ Disp. 3. th. 4. & 26.* Integrum ex occasione fortassis denuò repræsentabimus. Interim Oecolampadius à Zwinglio seductus aliter postea aliqvamdiu docuit, de qvo Philippus Melanchthon ex Comitiis Augustan. An. 1530. apud Chytræum Doctorem nostrum p. 161. *Zvinglius misit huc Confessionem typis impressam.*

RESP.
MAT
THI
PETE
SEN, R
STOCHI
ENSI.

preſſam. Diceres ſimpliciter, mente captum eſſe: de peccato originali, de uſu Sacramentorum, veteres errores planè renovat: de ceremoniis loquitur valdè Helveticè, h. e. barbariſſimè, velle ſe omnes ceremonias eſſe abolitas: ſuam cauſam de cœna vehementer urget: Epiſcopos omnes vult deletos eſſe &c. Reſtituere in integrum Eccleſiam conatus eſt Oswaldus Myconius. De qvo *Melchior Adami Sileſius*, magnis Heidelbergenſium elogiis commendatus in vit. Theologor. *Cum certamen Euchariſticum*, inqvit, *de præſentia corporis Chriſti in cœna paſſim efferveſceret, Myconius in ſententiam Lutheri haud obſcurè inclinavit, atqve ſæpius ejus rei cauſas amicis ex verbo Dei explicavit: inde cum Academia Baſileenſi nonnihil ſimultatis ei interceſſit.* Hauſit iſta Melchior Adami ex Henrico Pantaleone Theologo & Profeſſore Baſil. qvi *part. 3. Proſopogrph. p. 223. ad ann. 1540. Cum*, inqvit, *qvæſtio de præſentia corporis Chriſti paſſim mota eſſet, Myconius in ſententiam Lutheri inclinavit, atqve ſæpius ejus rei cauſas mihi ex verbo Dei explicavit.* Succeſſit Myconio Simon Sulcerus per plurimos annos Eccleſiæ Baſileenſis primùm, deinde etiam Academiæ Doctor. Is Anno 1538. Lutheri Witebergæ Diſcipulus, nunqvam poſtea, Cathedræ ſive Eccleſiaſticæ ſive Academicæ admotus, à Magiſtri veſtigiis receſſit. Hinc Anno 1550. in reformatione ſuperioris Marchionatus, Hochbergenſis ſcil. fidus fuit D. D *Jacobo Andreæ & Jacobo Heerbrando*, Theologis ſinceris, paraſtata, omniaq; ad Auguſtanæ Confeſſionis Formulam accuratè cum ipſis diſpoſuit. Anno 1563. conſenſui inter Theologos & Profeſſores in Eccleſia & Schola Argentinenſi facto A. D. 1563. 18. Mart. ſubſcripſit cum eodem D. Jac. Andreæ, qvi extat *in Agend. Eccleſ. Argentin. p. 62.* & conſtitutus fuit propter turbas ab Hieronymo Zanchio excitatas; ubi ſancitur, *qvod ad Cœnam Domini attinet, ut pariter in Schola & Eccleſia, conformiter aliis piis Eccleſiis, ex verbo Dei, juxta Auguſt. Confeſſionem An. 1530. Carolo V. à Principibus & qvibusdam Imp. R. Civitatibus exhibitam & adjunctam apologiam doceatur, eaq; ſit norma & regula totius doctrinæ, non tam de Cœna Domini, qvam etiam reliqvis articulis omnibus, ex verbo Dei ſincero & incorrupto in Scholis & Eccleſiis docendo: Qvod autem attinet materiam de præſcientia, prædeſtinatione &c.* abſolutum decretum rejicitur, univerſalis gratia, &

univerſalis

universalis J Christi redemtio statuitur, possibilitas item defectionis vere credentium asseritur. Deniqve Doctor Theologiæ factus summa conjunctione animi Theologos Argentinenses complexus est, *Joh.* Patrem, & *Erasmum* atqve *Philippum* filios *Marbachios*, ut & *D. Joh. Pappum*. In promtu sunt apud archivum Ecclesiasticum Argentorat. fasciculi literarum plurimarum, qvibus id probari potest. D. Sulcero Collega accessit D. HULDRICUS COCCIUS, qvi etiam consensui dicto Argentorati adornato interfuit. Sub his Doctores Theologiæ creati sunt An. 1579. *Erasmus & Philippus Marbachij*, qvorum testimonia extant Marqvardi Molitoris Notarii manu scripta. De Philippo Marbachio noto ex ejus testimonio. *Se*, inqvit, *Basilea recipiens Tubingam feracem institutionis, ceu Athenæ ἔπαυλον agrum, audiendo, exercendo, in divinis potissimum, usqve adeò Theologis eruditissimis D Jacobo Andreæ atqve Jacobo Heerbrando, juxta alios, placuit, ut ipsum sine publico instrumento omni laude & commendatione pleno dimittere noluerint. Contulit autem se, qvo & alias Ecclesias & Academias cum ipsarum doctrina vera ac οἰκονομίᾳ justa videre, cognoscere, nec non uberrimum fructum percipere posset*, Rostochium, (aliàs Rosarum Urbs dicta) in cujus Gymnasio freqventi ordinarios Doctores, (è qvibus honoris ergò *Davidem Chytræum & Simonem Pauli* nomino, Viros de literis & piis omnibus benè meritos) audivit, ac cousqve profecit, ut Licentias &c. Anno 1581. gradu DOCTORIS pariter *Basileæ* insignitus fuit *D. Joh. Winckelmannus*, Præceptor meus, postqvam in Disputatione publica doctrinam de reali præsentia corporis & sangvinis Christi in S. Cœna solenniter in conspectu Professorum defendisset contra Belgam opponentem. Contra qvidem nixus erat *Joh. Jac. Grynæus*, sed à Rectore Acad. *Basilio Ammerbachio* in ordinem redactus fuit, cumq; adversa valetudine impediretur *D Simon Sulcerus*, à *D. Huldrico Coccio* promotus est. Simonis Sulceri Epitaphium in templo hoc est. *Simon Sulcerus ædis hujus annos 33.* VERUS *vigilansq; Antistes utrqve manu Vineam Domini sui excoluit: Scholam Theologicam erexit atqve rexit, fida docendi assiduitate suspiciendus, vitæ sanctimonia & probitate imitandus* &c. *Huldricus Coccius* D. Anno 1566. 24. Febr. ad Johannem Marbachium D.

data epistola ista refert, cum suum judicium de sermonibus tribus Marbachii de Christi ad cœlos adscensione promit. *Zwingliani multa negabunt & tuam antea sæpius læsam patientiam in furorem, ut ita dicam, pace tua, conversam clamabunt, cum tamen ipsi, quemadmodum Heidelbergensium, Lauterensium & aliorum scripta testantur, histrionum scurrarumq; more erumpant.* Fuit apud nos D. Rod. Gvaltherus Tigurinus, *ac fratrum Tigurinorum nomine proposuit consilium, quo ex petitione Illustriss. Principis Palatini sententiam suam de Cœna aperire brevi libello & Cæs. Majestati transmittere ad Comitia velit. Petiit, ut nos, quod & alij Helvetij purioris doctrinæ fecissent, ipsis conjungeremur. Nos autem ac Magistratus noster priorem suam jam dudum editam confessionem, in Sacramento corporis & sangvinis Christi nihil ab Augustana dissentientem, multominus ab Evangelistis & Paulo, retinet. Hæc Te, Clarissime Vir, & Fratres Argentinenses scire volui, ut videatis, quam subinde tentemur, quia non castris vestris relictis in aliorum transimus.* Idem An. 1579. Cal. Maji ita ad *Joh. Marbachium D.* scripsit: *Nobis pergratum est, quod, ut omni hactenus tempore & Ecclesiam & Scholam nostram in sincera doctrina conjunctam cum vestra voluisti, ac quantum potes, potes autem plurimum, id ipsum adhuc studes. Nec dubites, quin verè promittas tibi, nos idem precibus flagitare à Domino & oblata occasione reipsa declaraturos.* Nec Theologorum tantum Basileensium fuit ista cum Ecclesiis invariatæ Aug. Confessionis animorum conjunctio. Etiam inclyti alii Viri ita fuerunt animati. THEODORUS ZWINGERUS *Medicus & Philosophus in theatr. vitæ human. vol. 5. lib. 4. tit. de Christianæ religionis hæreticis seculo XI. p. 1323.* de Berengario ita scribit. *Berengarius Turone oriundus & Diaconus Ecclesiæ Andegavensis, doctrina & morum honestate initio clarus, Franciam, doctrina sua de Eucharistia, qva* veram corporis & sangvinis Christi in *S. Cœna negabat* præsentiam, *valdè turbatam multis annis reddidit sub annum 1051. Ejus hæresis in Synodo Turonensi, deinde Vercellensi, & Lateranensi damnata est. At licet ipse præsens libros sui dogmatis in medio Concilij igni tradiderit, ac per Deum, nunqvam deinceps in vulgus ejusmodi doctrinæ genus se sparsurum,* sed in patrum probata sententia *permansurum sanctè juraverit, tamen postea ad ingenium rediit &c.* Idem Vol. XVI. lib. 5. tit. de pœnitentia religiosa ob hæresin p. 3080. *Berengarius*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740012614/phys_0008
DFG

rengarius Turonenſis, inqvit, *amplitudine doctrinæ confiſus de Sacramento Euchariſtiæ* errorem ſuum, *publico Concilio Romæ habito emendavit, & ſtatim omiſſo ſtudio* Sophiſticæ diſciplinæ, *cum eſſet Diaconus Andegavenſis, omnia pauperibus erogans, labore manuum ſuarum ſibi victum qvæſivit.* Notamus I. ut de religione Eccleſiæ Baſileenſis iſto tempore certiores reddamur, fuiſſe hunc Theodorum Zwingerum, ut ex ſermone inaugur. Felicis Plateri *in præfat. dedicator. ad Barones Zerotinos* refert D. Jacobus Zvingerus, *religioni ſinceræ addictiſſimum, conciones & preces publicas continuò freqventâſſe, ſacra ſucciſivis horis Græco ſæpè textu ſedulò legiſſe, præcipua documenta per tabulas pulcrè diſpoſuiſſe, pietatem ſc. timoremq; Dei omnibus præponentem. Id Amerbachium de ipſo, cum jamjam animam Deo reddidiſſet, hoc elogio cum lacrymis teſtatum eſſe,* cum diceret, Piget me vivere poſt tantum virum, cujus doctrina magna fuit, ſed exigua, ſi cum pietate conferatur. II. Zvingerum hunc pro vero tradere, qvod Berengarius in Euchariſtia veram corporis & ſangvinis Chriſti præſentiam negaverit. III. Zvingerum opinatum fuiſſe, qvod Berengarius ob negatam veram præſentiam corporis & ſangvinis Chriſti in S. Cœna in hæreſi fuerit & hæreticus habitus. IV. Synodos Turonenſem, Vercellenſem & Lateranenſem in commendatione Berengarii veritatem ſectatas eſſe. V. Berengarium probatam Patrum ſententiam, ante palinodiam, non habuiſſe. VI. Berengarium ſtudio ſophiſticæ diſciplinæ deditum fuiſſe in hæreſi ſuâ defendenda. Hæc non dicit Zvinglii aut Calvini ſeqvax. Vide Phil. Mornæi Pleſſiaci Marliani Domini *de Euchariſt. l. 4. c. 8.* Rudolph. Hoſpiniani *hiſt. ſacram. l 4. p. 332.* Orthodox. Conſenſ. *cap. 5. p. 107.* Joachim. Vadian. COS. Sangallenſ. *lib. 2. Aphoriſm. Euchar. pag. 34.* Huldr. Zwingl. *in brevi & planâ Inſtitutione de Cœnæ Dom. T. 2. op. p. 270.* qva de re pluribus egi, in Berengario meo. Idem Theodor. Zvingerus *in Theatro ſuo Vol. eod. lib. eod. p. 321.* Prædeſtinatorum hæreſin commemorat, qvi ſtatuerint, *nec piè viventibus bona opera ad ſalutem, nec impiis mala opera ad interitum conferre.* & p. 1323. *Belga fuit*, inqvit, *Godeſcalcus, ut Aventinus indicat, Presbyter profeſſione in Diœceſi Moguntiaca circa Ann. Dom. 849. Docebat, Deum Patrem plus eſſe, qvam Deum filium. Chronicon Iſenacenſe.* Scilicet, Deum Patrem eſſe

καθ' ὑπερβολὴν Deum, ut ait Calvinus, Franciscus Junius & post ipsos Bellarminus, Gregorius de Valentia, Gretserus, Vicelius &c. de qvo vid. Intervent. pro myster. Trinitat. & AntiCornæum, utrobiqve cap. 2. *Idem Godescalcus*, docente Zvingero, *statuit, Homines qvosvis, inevitabili lege & necessitate providentiæ divinæ, sive inferis, sive superis destinatos esse.* Aventinus Annal. Bojor. lib. 4. Obtulit autem sub Rege Ludovico An. 848. Synodo Moguntinæ libellum, qvo hæc capita continebantur. I. Qvod Deus, sicut qvosdam prædestinavit ad vitam, ita qvosdam prædestinarit ad mortem. Qvodqve Deus non vult omnes homines salvos fieri, sed eos solum, qvi salvantur. II. Qvod Christus non sit mortuus pro omnibus, sed solis electis. Qvodq; in illis Petri verbis, Eum, qvi emit illos, Dominum negantes, baptismi perceptionem Apostolus redemtionem vocat, qvia qvi pereunt, verè nunqvam, sed tantum sacramentotenus fuerunt redemti. Hincmarus Rhem. *Episc. ad Nicol. Papam* apud Frodoardum *hist. c. 14.* addit, *hanc fuisse opinionem veterum Prædestinatorum, qvæ in Adrumetinis Monachis ab Augustino in Africa fuerat condemnata, posteaq; in Galliis anathemizata est à B. Prospero.* Sed de his plura vide apud Joh. Ger. Vossium *hist. Pelag. lib. 7. part. 4. p. 737.* Hujus hæc dogmata, qvæ Theod. Zwingerus pro hæreticis habet, nunc Basileæ magno applausu docentur. Autor introductionis talium & mutationis deplorandæ est Joh. Jacobus Grynæus. Hic Simonis Sulceri discipulus primùm planè in vestigia ejus se dedit. Tubingæ Studiorum Basileæ cœptorum telam petexuit, habitis disputationibus publicis *de Persona Christi & SS. Cœna.* Postea ibidem una cum D. D. D. *Conrado Wolfgango Plazio, Philippo Heerbrando & Luca Osiandro* Doctor SS Theologiæ creatus fuit. Qvamvis autem postea Heidelbergæ Calviniſmum à *Zacharia Ursino* hauserit, illo tamen profundè dissimulato in Ecclesiam Rötelanam Marchionatus Hachbergensis, Marchionibus Bada-Durlacensibus pertinentem, se vocari ad Pastoratum passus est. Sulcero adhæsisse Grynæum encomiasta ejus non dissimulat, cum ait: *Simon Sulcerus ab Helveticis Ecclesiis declinare visus est in capite de Cœna Sacra. Ejusmodi igitur Doctoris cum admirator esset Grynæus, in errorum devia est abreptus,*

ptus, atqve decennium totum & seductus fuit, & alios seduxit, donec tandem in viam veritatis gratia divina eum deduxit. Sic igitur ab Apostata Grynæo, secretissimis artibus venenum suum tegente, Ecclesia Basileensis demum cum Academia ad Calvinismum prolapsa est, cum prius sinceris Theologis autoribus & Argentoratensi Ecclesiæ (non minus à vaferrimis vertumnis tentatæ) & in universum Orthodoxis per Germaniam cœtibus per qvinqvaginta ferè annos conjunctissima fuerit. Hanc Grynæi in patriam Ecclesiam exercitam perfidiam objecit ipsi adhuc superstiti Samuel Huberus D. An. 1590. in scripto, cui titulus: **Gründliche Antwort auff den unwarhafften Gegenbericht etlicher Schweitzerischen Theologen als nemblich Abraham Meußlins und Peter Hybners zu Bern / Johann Wilhelm Stuken zu Zürch /** Doctoris Johannis Jacobi Grynæi **zu Basel und Johann Jetzlers zu Schaffhausen / darinn lauter erwiesen würd &c. gedruckt zu Tübingen.** Ubi p. 109. & seqq. ostendit An. 1590. D. Joh. Jac. Grynæum libellum, cui titulus, **Baselischer Kirchen Bekäntnus / Agend und Kinderlehr /** præfatione qvidem commendasse, sed tamen in pluribus ab eo recessisse. Et An. 1591. alio scripto, cui titulus. **Bericht wie unbeständig und untheologisch D. Johann Jacob Grynæus und seine Mitgesellen / die verhädigten und gleich darauff von der Obrigkeit wiederumb verleugneten 4. Articul belangend sich erzeiget haben.** Erant autem articuli hi: I. Qvod Christus non pro omnibus hominibus sit mortuus. II. Qvod promissiones Evangelii de gratia Dei in Christo non concernant omnes homines, sed solum eos, qvos Deus abscondito, immutabili, æterno consilio ad vitam æternam præordinavit & creavit. III. Qvod Deus in immutabili æternoq; consilio, sine intuitu infidelitatis, maximam partem hominum ad æternam damnationem præordinaverit & creaverit, & nunqvam voluerit, ut salvarentur. IV. Qvod nemo ex accepto baptismo certò concludere possit, qvod Deus ipsum in baptismo in filium receperit. Qvibus accessit V. Qvod qvicunqve Christianus fiduciam suam in Christum hominem collocat & preces suas non ad solam Deitatem ejus, sed etiam ad acceptam humanitatem dirigit, is ex ore Dei maledictus & velut idololatra & blasphemus in æternum damnatus sit. Hos negasse Grynæum Bernæ,

docet

docet Huberus latè. Et tamen publica disputatione Basileæ propugnasse, ostendit idem in ep. Von D. Johann Jacob Grynæi Disputation / welche er den 8. Julii An. 1591. zu Basel gehalten hat / an den Ehrnvesten / Fürsichtigen und Weisen Herren Johann Rudolph Hubern des Raths daselbst kurtzer und einfältiger Bericht. Tübingen. Sociarunt sese Grynæo postea & alii, inter qvos *Amandus Polanus* eminet, qvi virulentis scriptionibus subinde Ecclesiam Formulæ Concordiæ addictam vellicavit. Argentoratensib⁹ a. Theologis nominatim nusqvam scriptis adversata est Basilea. Unde confutatis erroneis dogmatibus in ea grassantibus, hoc viciniæ olim fœderatæ dederunt, ne nominatim etiam adversus aliqvem Basileensium scriberent. Factum est autem, ut Colmaria, S. R. Imperii urbs in Alsatia superiori, qvæ è Basilea corruptæ religionis antehac contagium acceperat, cum primum ex Argentina puris Ministris fuisset instructa, atqve ob id in periculum inciderat, deniqve penitus An. 1627. per executionem Cæsaream religionis Aug. Conf. exercitio orbata fuerat, An. 1632 à Gustavo Hornio Campi Mareschallo, auspiciis Svecicis, occuparetur, &, qvia ex pactis deditionis restituenda erat, qvoad religionis libertatem, in eum statum, in qvo fuerat An. 1577. eò ex Argentorato à Senatu peteretur Joh. Schmidius, Doctor Theologus, conventus Ecclesiastici Præses, Collega & Compater meus honorandus, & exulantem Evangelicorum cœtum recolligeret, Ministerium, ut antehac ex eodem loco factum, præsentaret, & sic de pristinâ religionis libertate tum Civitati gratularetur, tum Deo gratias ageret. Jubenti Senatui & postulanti Generosissimo Dno Campi Mareschallo ille paruit, peregit, qvæ peragenda fuerant, Rev. & Clariss Virum M. Jodocum Haasen, meum & Civem & Commilitonem & Anno 1617. Cal. Maj. in impetrata secunda Philosophica laurea, qvam Magisterium vocant, competitorem, hactenus Amicum & Fratrem in Christo perqvam dilectum, Pastorem cœtui dedit, additis Ecclesiastis aliis, & concione eucharistica opus sacrosanctum obsignavit. Inde, qvia Basileam suum à Grynæo acceptum in religione contagium Colmariæ qvoqve communicasse in Concione dicebatur, excanduit adversus nos Theodorus Zwingerus, nepos illius, qvem paulò ante

testem

testem sinceritatis Basileensis nuncupavimus, & animo deniq; conceptam flammam evomuit. Ediderat Lucifuga Anonymus Kurtze Verantwortung und Erklärung über die Predigt/ welche von Herrn D. Johann Schmieden/ Predigern und des Kirchen Convents Præsidenten zu Straßburg in des H. R. Reichstadt Colmar gehalten/ Anno 1633. Exemplaria magno numero Basileâ Argentoratum deferebantur: Inscriptio singularum columnarum atrox fuit: Verantwortung der verfolgten Evangelischen zu Colmar wider D. Schmieden gehaltene Schmachpredigt. Hinc D. Schmidius adigebatur, ut ederet Gründliche und unvermeidenliche Wiederlegung der giftigen Lästerschrifft/ welche ein ungenanter Calvinist An. 1633. wider die in Anno 1632. in des H. Reichsstadt Colmar/ von Joh. Schmidt/ Th. D. Professore, und des Kirchen Conventes Præsidenten in Straßburg gehaltene Christliche Danckpredigt unter dem Titul: Kurtze Verantwortung/ &c. feindseliger Weise außgesprenget/ etc. Ibi, latius deductâ historiâ mutationum in Basileensi Ecclesia à Grynæo factarum, continere se amplius non potuit Theod. Zwingerus, sed inprimis in Declaratione sententiæ de S. cœna erupit. Accessit introductio panifragij in Ecclesias Basileenses, cum placentæ orbiculares ad id usq; temporis usitatæ in illis fuissent, in quam à non nemine invectiva scripta est. Ita in declaratione illa audimus *pertinaces & calumniatores, qui in mustaceo quovis laureolam quærunt, superstitiosi, maleferiati, furiosi, virulentissimis scriptis & calumniis Ecclesias proscindentes, perturbatores mysteriorum Dei, nimis dentatis & præcipitatis scriptis in alios sævientes, qui per nominis ipsorum, imo Christi ipsius, ruinam grassamur ad aucupium propriæ gloriæ, tympanistæ Satanæ, & quæ sunt horrenda convitia alia.* Imo primam illam editionem Augustanæ confessionis Carolo V. Imp. An. 1530. oblatam vocat *Crudam formulam, à fraterculis Missaticis serena fronte exceptam, tanquam Catholicam, à qua invidia Reformatis aliis, in Galliâ præsertim ad sanguinem usq; conflata, ut non mirum, Calvinum eam vocasse facem furiæ, ad excitandum incendium, in quo conflagret tota Gallia.* His in nostras Ecclesias occurrendum fuit dicteriis, quas Apostasias accusare Zwingerum non puduit. D. Schmidium ob pietatem Colmariæ exercitam ἀλαζονοπίσκοπον vocat, *qui luci nebulam offuderit, ventosa in-*

vectiva

vectiva vanum. Interim de Grynæo fatetur, *eum Basileæ & Tubingæ* τῇ δοκοῦντων προσωπολήψιᾳ *fascinatum sordes ubiquitatis imbibisse & postea iterum expuisse, lolium atq; zizania in Ecclesia Bas. dormientibus hominibus erupisse, unius & alterius* ἑτεροδιδασκαλίᾳ, *quæ dissimulanter atq; in occulto serperet.* Quæ in D. Schmidium Zwingerus scripsit, confutavit in præfat. dedicat. Concionum de divinis PACIS conditionibus. Ego Considerationibus novem Declarationem ipsam tractavi, Anno 1643. editis. Harum occasione Augustinus Arisæus Studiosus aliquis, ut præ se tulit, Geneva ad me scripsit, & quid sibi ibidem contigerit, cum de rebus ad S. cœnam & personam Christi pertinentibus cum Calviniano quodam Studioso dissereret, indicat, petita responsione ad scrupulos injectos. Literas ipsius responsionemq; meam placet cum BONO DEO nunc publico dare. Æquus æstimator sacrarum tractationum perlegat & ponderet.

Salutem plurimam cum observantia!

VIR plurimum Reverende, Excellentissime, Clarissime Dn Doctor & Professor celeberrime. Nuperrime & paucissimos hos dies, ego Genevæ agens, cum studioso quodam Calviniano (ut sunt homines hujus loci noti) cætera amico meo, præter theologicas controversias haud postremo, & quo cum sæpius conversor, disputatio, & tandem lis intercessit atq; rixa. Occasio fuit ipsa, Vir plur. Reverende, tua Reverentia & Excellentia. Venit enim in manus Exc. T. Consideratio contra Zwingerum, quæ istum ægre habebat; à me extollebatur i.e. animo meo plurimum placebat, & ut quod maximum. Hinc disputatio: Primo de verbis S. Cœnæ tantum, sed quæ mox in articulum de persona Christi, ut in hac controversia consvevit, & ulterius excurrit. Expertus equidem sum hactenus sæpius (sæpius n. conversamur) hominis bellum armaq;, & ut mihi visus sum, non male sustinui: hac vero vice, quanquam nihilminus videri volui, quam victus ac saucius deserere bellum, isq; ut & aliis & inprimis Antagonistæ meo non apparerem, multis verbis laboravi, non tamen (ingenue fateor) non sine occulto vulnere

nere prælio excessi, magis magisq; hactenus serpente & adurente flamma. Ejus vero à Rev. plur. T. Excell. posteaquam multis in libris quæsita non inveni medicamina, ea, qua par est, & quanta possum, observantia peto. Forte non omnino iniqvum postulo ab eo auxilium, à quo, ut egerem auxilio, factum est. A Te; quem quidem nondum, quod sciam, vidi, quamvis Argentinam quondam pertransierim, ut vero audio, Theologo Zeli pleno, quod scripta probant, eoq; animo, ea dexterrima humanitate, ut fluctibus laborantem nolis demersum. Equidem suspicaberis dolum, non Lutheranum ex cordis sinceritate, ob Dei honorem, & fidei suæ confirmationem hoc petere, sed fraudis machinatorem Calvinianum. Sed profecto Lutheranus hoc scribo, & mihi soli desidero legenda: moriar, si Calviniano legenda communicavero, aut de verbis tuis ullum dixero. Habes autem ignotum non tantum nomen, sed & patriam, aut quis sim. Ita est: sed ad meum vitandum periculum, quod adeo timeo, ut id nulli hominum, nec id, quod nunc scribo, nisi Tibi soli cognitum cupiam. Quæso, Vir Excellentissime, pudendum hoc meum & ulcerosum vulnus clausis oculis alliga: quod ut obtineam à Rev. Tua, Deum Opt. Max. animitus precor, hic det, ut quod jure mihi negaveris, ex humanitate tua concedas. Dabitur in posterum etiam occasio tantum beneficium tuum grato opere compensandi. Res igitur ita habet. Qvum hinc inde diu satis alter alterum vellicassemus, & his quasi velitationibus in justum prælium exarsissemus: tum ille, age, inquit, ab ovo rem ordiamur & controversiæ arcem aggrediamur i.e. Verba Cœnæ. Procul dubio pugnas pro ῥητῷ, eoq; hoc, Hoc totum complexũ est corpus meum: Hoc totum complexum est sanguis meus. Sane, inquã, si eo tamẽ sensu acceperis, quod id, quod est totius Complexi pars, sit corpus Christi, non autem omne id, quod ad complexum concurrit: quemadmodum si de cantharo vini pleno dixero, Hoc vinum est, i.e. aliquid quod ad totum hoc complexum faciendum concurrit, est vinum. Hoc, inquit, sentis esse τὸ ῥητὸν? Hoc, inquam. Quomodo vero, inquit, tu audes hæc esse ῥητὸν dicere, sine omni figura dictum, omniq; tropo? Profecto sic aut dubius at q; lubricus, aut nullus fis. Dubius. I. Nam, si concessero, illud esse τὸ ῥητὸν; tu etiam concedere cogeris, ejusdem propositionis ῥητὸν esse, quod Pontificij dicunt, Hoc est Corpus meum essentialiter & tantum, ut quando dico,

Hoc est panis, ῥητὸν est, Hoc quod ostendo est essentialiter & tantum, sive non alio præterea ullius essentiæ concurrente, panis. Habebis ergo jam propositionem ambiguam, pro qua utrag; pugnabit τὸ ῥητὸν: quam eliges? Sane, si, ut vos facere soletis, ex ῥητῷ retinendo argumentatus fueris, Pontificorum vestrâ verior est tanto, quanto sæpius & hinc magis proprie τὸ Hoc demonstrat rem unam quam complexam. Sed neutra præponderet, unde me deduces à Pontificorum sententia? An quia Apostolus adhuc panem, cum jam benedictio facta est, vocat? Oggero, quod & vos soletis, hunc Articulum ex sua sede dijudicandum, & potius à proprietate verborum Pauli, quam à proprietate verborum Cœnæ recedendum esse, dicendumq; panem à Paulo vocari per συνεκδοχὴν pro tota actione Sacramentali, vel tota actione circa unam partem h. s. quando nos in Sacramento Cœnæ sumimus verum panem, eumq; consecramus, postea distribuimus, annon corpus Christi participamus? vel per Ampliationem; Id, quod fuit panis, &c. Illud annon proprie accipere possumus, hoc sensu; Id, cui benediciusus, an poculum tantum commune, non a. participatio sanguinis Christi est? Id, quod frangimus, i. e. distribuimus (ut vos explicatis, præsertim extra verba S. institutionis) an panis tantum est, non autem communio corporis Christi? Habes proprietatem. An quia vocatur Panis fractio? At manifestissimum est, esse συνεκδοχὴν. Non itidem sequitur, quodcumq;, cum fit fractio (qualem vos etiam ante consecrationem habetis cum Pontificiis communem) est panis, id etiam est post consecrationem panis. An quia impossibile est, Panem mutari in Corpus Christi, & manere accidentia? At Christus novit, quomodo loqui debuerit, est veracissimus, est omnipotentissimus, ut rursus ipsi soletis dicere pro vestra sententia. Ego hic dixi, quæ potui, ne faterer, quod Tibi fateor, me non posse refutare. Pergit vero ille meus antagonista. Hactenus ex concessione te dubium feci, & lubricum. Nullus II. es, quia primo (omisso, quod forte propositionem non poteris mihi dare duorum ῥητῶν) Propositio vestra non est Logica: non retinet ergo τὸ ῥητὸν. Non hoc volo, quod omnis propositio, quæ non est Logica, non habeat τὸ ῥητὸν: sed quod, quæcunque habet τὸ ῥητὸν propositio categorica, sit Logica. Vestra, inquam, pergit, non est Logica: quo enim reduces? non est ex ulla prædicabilium quæstione; nec est identica. Est

qui

qui ad singulares refert, & explicat; Hoc est corpus meum, i. e. Corpus meum, quod est sub pane hoc, est Corpus meum. Id nonnulli rident. Ego non quidem ridebo: dicam tamen, quod sentio: insulsum mihi videtur. Non n. singularis propositio dici meretur, quando idem et iam nomen habet pro subjecto & prædicato, qualis est, Petrus est Petrus, & illa, Corpus meum est Corpus meum; sed tautologica. Secundo revera caret tropo minime: quod patebit ex ejus & similium, quas dare soletis, resolutione. Si etenim essemus Tu & Ego in cella vinaria, dolumq; mihi ostendens, sive ego plenum scirem, sive non, diceres; Hoc est vinum Rhenanum: aut ita esset explicanda mens tua; Hoc dolium est vinum Rhenanum. Non esset verum. Aut ita: Dolium & vinum est vinum Rhenanum, vel, Hoc dolium, & quod est in eo, est vinum Rhenanum: neutrum verum. Aut ita: Hoc quod est in dolio, est vinum Rhenanum. Verum, sed non complexum est Hoc, sed demonstrans unam rem, id quod est in dolio. Vos contenditis esse complexum h. m. Vinum, quod est in dolio, est vinum Rhenanum: sed profecto vobis ipsi contradicitis. Dum enim dicto modo explicatis, non duas res dicitis, sed unum circumscribitis à loco suo. Nonne? Ergo cum dico tibi nocte subobscura ostendens lucidam stellam in Capite Tauri; hoc est oculus Tauri, quod explicandum: Stella, quæ est in capite Tauri lucidissima, est oculus Tauri, Hoc erit complexum. Aut quando Aristotelem ostendero in Peripato dicens: Hoc est Aristoteles, i. e. Hoc quod est hominis in Peripato est Aristoteles, complexum dico ex Aristotele & Peripato. Absurdum. Aut de fornace in hypocausto, Hoc, quod sc. est in hypocausto, si præterea nil insit, est fornax: fornax & hypocaustum erunt complexum. Itaq; dicta explicatio vera quidem est, non tamen complexionis. Complexum omnino per copulam aut æquipollentem descriptionem evoluendum, non a. in Casu obliquo eo modo, quo res. Si concedis hoc, à Doctoribus tuis jam longe recessisti. Præterea illa propositio: Hoc est vinum Rhenanum, est μεϛωνυμικὴ, Continentis pro Contento, quam alij vocant συνεκδοχὴν. Hoc n. dolium demonstrat (cujus natura est semper monstrare oculis expositum) & est intelligendum id, quod in dolio est. Sic & in Sacramentali non erit ῥητὸν, sed vel μεϛωνυμία vel συνεκδοχὴ. Aut ita; Hoc, quod est in hoc loco, non tantum est dolium, sed & vinum Rhenanum. Verum; sed Ellipticum. Sic & propositio Sacramentalis erit figurata. Manifestum

hoc adeo puto, ut nemo Tuorum negare ausit. Præcedentem explicationem ulterius persequor. Hoc, i.e. quod est in dolio, est vinum Rhenanum: est continens pro contento, & Hoc monstrat unam rem contentam figurate: ut si Germanus dicit: Das Faß ist Rheinischer Wein/ Demonstro. Si tibi nondum interrogatus dixero: Hoc est vinum Rhenanum: vel interrogatus, Quid est hoc? respondero; Hoc est vinum Rhenanum: Utraq; propositio eadem est. Jam vero in posteriore τὸ Hoc non est complexum. Id enim est, de quo tu quæris. Non enim quæris etiam de dolio, quod vides, nisi ineptus. Aut si de dolio etiam quæris, ineptè tibi responderim, Hoc est vinum Rhenanum. Sic propositio Sacramentalis. Ego vero Ellipticam superius datam explicationem omnino magis probandam puto, ut quæratur, Quid est hoc? i. e. quod hoc in loco ego video, estne tantum dolium, an vero est etiam aliquid in eo: respondetur q; : Hoc est vinum Rhenanum i. e. Hoc quod vides, & demonstras, non est tantum dolium, sed est etiam vinum Rhenanum. Illam verò: Hoc, id est, quod est in dolio, est vinum Rhenanum, ita, ut quærebatur: Videsne hoc dolium? Id igitur, quod in eo est, quid est? respondeatur q; , Hoc, quod attinet ad hoc dolium, quod ostendis, id quod in eo est est vinum Rhenanum. Quid ego? ne tacerem, verba dedi. Ille me tacere maluit. Sine, inquit, igitur, totam me meam sententiam pertexere. Jam si utiq; in vestra quoq; sententia tropus est, aut Ellipsis, aut Synecdoche: qui scis, vester quam noster an magis recipiendus sit? Imo vester non habet in Sacramentalibus verbis, ut in illo exemplo locum. Ante enim tantum explicationis genus examinavimus: nunc ad locum applicabimus. Non, inquam, pergit, verbis Sacramentalibus convenit: neq; enim posteriori Sacramentali propositioni, quæ est apud Matthæum & Marcum, convenit. Ea hæc est: Hoc est sanguis meus, &c. Sed & præcedentia verba adducenda; καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων, Πίετε ἐξ τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου. Juxta Vos tria hic sunt, ποτήριον, οἶνος. ſ. γέννημα τῆς ἀμπέλου & αἷμά μου; Propositio autem ita erit explicanda; Id quod est in hoc ποτηρίῳ est sanguis meus. Vides falsum esse? Aut ita; Hoc non tantum est poculum, sed etiam sanguis meus: æquè falsum esse? Si Hoc duo tantum ostendere dicis, pridem tropus est in verbis institutionis, quem vos negatis esse posse: & ea duo tamen dico non esse posse, nisi poculum & vinum. Oblitus fere

esſem,

essem, quod vestra de complexo sententia illam Lutheri propositionem, Panis est Corpus Christi, prorsus evertit: quemadmodum non possum dicere, Id quod est in dolio, est vinum Rhenanum, E dolium est vinum Rhenanum. Aut in Sacramentali peculiare est? Proba. Nostram ob hæc dicta probatiorem esse sententiam puto. Eam quidem vos clamatis non posse verbis convenire. Id vero subdolè potius dicitis, & in totam linguam iniquè docti estis, non in tota lingua similem dari posse propositionem. Feciſtis hoc occasione ea, qua vidistis, nostros Theologos sensum potius, quam Grammaticè quamq; Rhetoricè explicare: vidistis, inquam, vestris oculis, non sanis. Dabo igitur tibi expositionem, quam Linguæ convenire non possis negare. Hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur. Hoc prædicatum est: Est, copula: reliqua subjectum. Hoc sumitur pro hoc pane, & mettaphoricè corpus Christi dicitur, Hoc sive panis. Et sunt æquipollentes hæ præpositiones, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, &, corpus meum, quod pro vobis traditur, est hic panis. Forte quod hactenus non audisti, absurdum tibi est: sed dabo rei obviæ exempla, quæ non ridebis. Si tibi mecum per flores & gramina deambulanti elegantissimum, sed marcidum florem ostenderem dicens; En pulcherrimi coloris & figuræ florem, qui subito emarcuit! Nos habemus homines, quod hic discamus. Hoc enim homo est, Hoc est juventus florida. Aut defluens vides folium; Age! hinc nos consolemur Christiani afflicti à potentibus seculi: Hoc enim est impius in potestate positus. Annon hæ propositiones sunt verissimæ, & in vulgus notæ certitudinis? Quod vero subjectum est, quod prædicatum? Sanè dico, Homo, Juventus florida, esse subjectum, & Hoc esse prædicatum: itemq; Impius in potestate positus, subjectum esse, Hoc prædicatum: sensum vero esse, ut Hoc sit prædicatum metaphoricum ita explicandum: sicut hoc, sicut hæc res. sicut hoc folium, hic flos, similis huic flori, folio, Homo, juventus florida est sicut hic flos, qui subito emarcuit, qvum pulcerrimus esset: Impius in potestate positus est similis huic folio, quod palluit & defluxit. Quare vero Hoc prius ponitur? An nescis juxta Grammaticam Demonstrativa & Relativa verbis suis & subjectis, quæ sequi deberent, præponi? Sic ergo Verba S. C. Hunc sensum æquipollentibus propositionibus proposuerunt hactenus non male his: Hoc significat Corpus meum, Hoc est signum corporis mei, nostri Theologi, Viri doctissimi.

Quemad-

Quemadmodum, si vobis credimus, Lutherus eandem propositionem Sacram. per æquipollentem tantum vel ex vestra saltem explicatione sequentem, Panis est corpus Christi, explicavit. Non potes igitur jam negare, (Et profecto, ingenue fateor, Vir pl. Rev. non potui) nostram explicationem esse in lingua & Grammatica, Rhetoricaq; fundatam. Esse vero tropicam, n n nego. Sed & vestra est tropica, si non falsa, ut ante ostendi. Quam ergo eliges? Ostendam autem etiam nostram reliquæ Scripturæ magis convenientem recipiendam esse; si prius resolvero scripturæ locos, quos nobis objicitis. Primus est 1. Cor. 10. Calix benedictionis, cui benedicimus, annon est communio sanguinis Christi? Panis, quem frangimus, annon est communio corporis Christi? Ego addo reliqua verba. Unus enim panis, unum corpus multi sumus. Addo & scopum Apostoli probare volentis, qui Idolothyta comedunt, participes fieri dæmonum vel cultus idololatrici. Breviter itaq; dico, Paulum non de substantia S. Cœnæ loqui, sed ejus effectu, quidue nobis hæc adferat & admoneat nos q. d. scitis, S Cœna effectum esse, ut non tantum quando utens ea in Christum meditationibus fertur, corporis Christi fracti & sanguinis Christi effusi recordetur, sed & quando in συγκοινωνίαν fertur, recordetur, quomodo S. Cœna eodem Sacramento utentes sangvinis & corporis Christi ejusdem participes faciat vel beneficiorum per corpus & sangvinem Christi partorum communes reddat, nec non unius corporis & sangvinis Christi mystici membra faciat. Noli mihi molestus esse, sangvinem & corpus Christi alias non promeritis suis accipi: cum totus Christus pro beneficiis suis accipiatur Gal. 3. Christum induistis; quod de beneficiis accipiendum, etiam Hunnio vestro explicante. Ut omittamus alia: si omnino aliàs in scriptura sangvis & corpus Christi pro beneficiis per ea partis non acciperentur, non potest obstare, quin in hac explicatione mystica vel tropologica ita accipiantur. Præterea ipsi hos effectus non negatis, & ex his Paulinis verbis concluditis. Retorqueo vero tandem hunc locum in vos ipsos. Apostolus dicit; Poculum benedictionis, cui benedicimus, annon est communio sangvinis Christi? Juxta vos erit explicandum; Id, quod est in poculo, ubi benedictio facta est, est communio sangvinis Christi. Atqui hoc est Vinum & sangvis. Ergo Vinum & sangvis Christi est communio sangvinis Christi & ejus σχήμα. Absurdum. Aut ita: Id quod erat ante benedictionem

dictionem in poculo, post benedictionem est comm. &c. Ergò est ampliatio. Aut; Aliquid, quod est, in poculo benedicto, est ὄχημα sanguinis Christi. Est συνεκδοχὴ. Pergite verò tropis! Si verò ita explicas; Id in poculo, cui benedicere solemus, ubi jam benedictum est, facit nos participes Sanguinis Christi & ejus est ὄχημα; Idem dicis, quod ante dictum est, Aliquid &c. est, inquam, συνεκδοχὴ συνεκδοχῆς, qualem velim aliunde mihi dari. Porrò εὐλογία vos refutat, qua quod ea sit, qua vos utimini, hactenus probatum non dedistis. Est & hoc contra vos, quod poculum est tantum Sanguinis Christi, à quo vos corpus non potestis separare. Ideoq; rursus συνεκδοχῶ introducitis, qua sanguis sumatur pro corpore & sanguine. Adde quod non est necesse hanc participationem esse præsentis, cum nec in Idolothytis necesse sit participationem fieri præsentis, & Diabolum ubique sacrificantibus præsentem esse, cumq; bolo ingredi, & ingredi omnes, qui de Idolothytis comedunt, ut ex sequentibus Apostoli verbis patet. Alter locus est 1. Cor. 11. 27. Unde concluditis: Q. reus sit corporis & sanguinis Christi, ore corporis comedit corpus & sanguinem Christi. Atqui &c. Majoris connexionem velim mihi probatam. Tam falsum enim hoc est, quam si argumentaremini ex Heb. 6. pro omnipræsentia corporis Christi. Q. crucifigit, ei crucifixum in cruce præsens est; qui à fide deficit, crucifigit corpus Christi. E. Id ipsi in terra præsens est. Nam & hic reus sit corporis & sanguinis Christi. Apostolus hoc vult, eum, qui non faciat id, quod in S. C. fieri debet, id est, non recordetur corporis & sanguinis Christi pro se traditorum, eum fieri eorum reum. Juxta vos Paulus dixisset; Qui comedit corpus indignè, non panem: non enim propter panem potest fieri reus corporis, cum panis non sit Corpus. Sufficit. Omitto etiam argumenta vestra ab Omnipotentia divina &c. Incipiam jam ostendere sententiæ vestræ absurditatem. Primo dico pugnare vestram explicationem cum verbis S. C. Ea ab initio ita habent: Accepit panem &, cum gratias egisset, fregit & dedit discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum. Vobis ita exponenda hæc sunt. Accepit panem, & benedixit dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, &, accepit panem, & fregit, vel (si accepit non vis repeti) & fregit, & dedit, dicens: Accipite, comedite &c. Vel ita: Accepit panem, & dicens, Hoc est Corpus meum, effecit, ut statim esset cum eo corpus suum, & fregit, & dedit discipulis suis dicens,

accipite, comedite, nam, ut dixi, feciq́, Hoc, quod est cum pane, est corpus meum. Forte clarius expono mentem Doctorum tuorum, quam quisquam ipsorum, & tamen nullus est congruens sensus, & cohærentia. Qualis namque est subjecti mutatio & objecti? Primo accepit panem, secundò mutavit panem, affirmando; Hoc, quod ego in manu habeo, est Corpus meum, (est etiam hæc tropica propositio, ut supra) factumq́ est panis & corpus Christi; tertiò fregit, quod habuit in manu, id est, panem, quamvis modo habuit panem & corpus suum: quartò dedit Discipulis utrumque; quintò dixit de utroque dato, Accipite utrumque; sextò, comedite utrumque, non tamen eodem modo, sed panem ore accipiendo, dentibus conterendo &c. Corpus meum tantum ore accipiendo: hoc enim sufficit ad comestionem: hoc, septimò, est enim corpus meum, ideò comedetis. (quale argumentum!) An hæc quadrant? credo, quadrato. Sic in posterioribus verbis. Accepit calicem, & postquam gratias egisset, dedit discipulis suis, dicens: Hoc est Sangvis meus N. T. Accepit calicem vini plenum, & postquam verbo suo, dicens; Hoc, i. e. id quod est sangvis meus, est cum vino, quod est in hoc poculo, fecit, ut esset vinum & sangvis suus, dedit poculum, & in eo vinum & sangvinem suum, & dixit, Bibite de eo, quod est in hoc poculo, omnes, aliquid enim de eo est sangvis meus, vel cum ea, quæ est in eo, parte, est sangvis meus. Qualia dicam, nescio. Lucas paulò aliter habet. Hoc poculum N. T. est in sangvine meo τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Ejus sensus hic esse debet; Id in hoc poculo contentum, quod est pro vobis effusum i. e. sangvis meus, per sangvinem meum est N. T. Talia sunt, quæ obscurissimis obscuriora sunt, & figuris plena, & tamen vobis sunt ῥητὰ: quod ego non intelligo. Noto tamen 1. per hanc posteriorem Lucæ explicationem priorem Matthæi de complexo refutari, quod etenim ibi est Hoc, id hic est τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Non igitur complexum. 2. In eodem esse ἀναλογίαν, sangvis meus est N. T. per sangvinem meum. 3. Falsum à vobis committi, quando τὸ quod pro vobis effunditur, prædicati parti αἷμά μου anfertis, & subjecto tribuistis. Non excusat vos casus. Τὸ ἐκχυνόμενον enim est participium resolvendum in relativum & præsens, quomodo secundum naturam Relativi convenientia cum casu præcedenti non est necessaria, ut ipse ex Syriacis & Hebræis nosti. Hinc & Erasmus reddidit doctissimus Interpres, qui pro vobis effunditur. Et Syrus reddidit

τὸ per:

τὸ per: & ἐκχυννόμενον per participium passivum, quod vester Trostius vertit, qui pro vobis effunditur. Et veteriores vestrorum hoc argumentum nunquam perstrexerunt. Alterum, quo sententiam vestram impugno, est Articulus de Persona Christi, quem verborum S. Cœnæ expositio non debet temere lædere. Si verba S. C. essent, quæ sine tropo omni, omnique obscuritate vestram sententiam redderent, admitterent verò etiam aliam fidei analogam sertentiam cum tropo, annon hæc accipienda foret? talia enim forent hæc verba, quæ non inferrent eam, propter quam ab illo ῥητῷ recedendum foret, necessitatem. Quanto igitur minus, quando vestra sententia τὸ ῥητὸν S. C. haud servat? ῥητὸν enim in Articulo de Persona Christi illud dico, quod Scriptura dicit; Me non semper habetis vobiscum, Abeo ad Patrem, relinquo mundum, &c. Christus fuit in Bethania, assedit mensæ, pependit in cruce, jacuit in sepulcro, gaudeo quod non fui Bethaniæ &c. Hic consisto, donec me scriptura ulterius ducat. Vultis quidem eam ulterius ducere, præter verba S.C. per Unionem personalem, & alios locos suos. Unionem definitis, qua divinitas suam personalitatem humanitati communicavit; jam itaque ubi est subsistentia seu personalitas Filij Dei, ibi est humanitas. An quid loquamini, intelligatis, nescio: ego quidem non intelligo. Ex Philosophia id, quod nihil est, adscivisse videmini. Ajunt Philosophi uniuscujusque rei unam esse subsistentiam, per quam ita existat, ut non sit in alio, & sine quo essentialiter esse nequeat, ut Homo. Si hoc volunt, quod subsistentia sit id, per quod omnia, quæ ad substantiæ completæ, quam vocant, essentiam concurrunt, ita sint unita, ut eorum alterum non sit sine altero, non tamen in quoquam tanquam in subjecto, & ab omni alio divisum: Concedo; sed nihil aliud dico, quam unionem substantiarum ad unum subsistens aut personale. Et sic divinitas cum humanitate in Christo est unita. Neutra enim est sine altera, sed ita sunt unitæ, ut unam personam constituant, quæ non sit in alio, & ab omni alio divisa. Si verò hoc volunt, esse aliquid omnibus partibus substantialibus commune, cujus beneficio omnes existant, & eo remoto, non consistant: Et tale debere esse etiam vos vultis in persona Christi: nego talem in mundo dari subsistentiam; affirmo contra, unamquamque partem existere & consistere per essentiam suam. Neque enim unio facit, ut res existat, sed ut unita existat, vel cum alio. Rem declaro exemplis. Corpus humanum & anima unam

personam faciunt, neutrum sine altero hominem facit, sed hactenus incompleta substantia est: & tamen utrumque sine altero consistit, anima ut fide Christiana credimus, corpus ut oculis videmus. Noli narrare de forma cadaveris, quæ à Deo non est, nec à creatura potest. Et ubi fuit forma cadaveris, quum homo primum crearetur corpus terrenum? Quid de ossibus corporis dicam? An aliam habent subsistentiam in corpore viventi, quam mortuo, aut sola, corpore jam putrefacto & abrasa carne ab iis? magis ergò substistentiæ unum, quam unita subsistens faciunt. Corpus quidem enim sine anima animatum non manet, corpus tamen manet, i.e. solidum quid, quod non habet ab anima, ut sit aliquid, etiamsi habet, ut tale sit. Vestrates constanter affirmant, Angelos, quando hominibus apparuerunt, corpora vera è terra facta habuisse. Corpora hæc antequam sucrunt assumpta, & subsliterunt per se, ut substantiæ, & quando assumpta sunt, subsistentiam suam non amiserunt. Angeli enim subsistentiam suam nullo modo communicarunt, nec corpus sine subsistentia portarunt. Fallitur igitur hæc Philosophia, & per consequens vestra illa communicatio personalitatis Filij Dei. Uniri verò in personam unam cum Filio Dei est altius quid, quam quod nos ex Philosophiæ sine Scriptura apprehendamus. Sufficit ex Scriptura scire, unum esse Christum: aut dicendum, humanitatem non habere ab unita divinitate, ut subsistat, sed à creante divinitate, id unionis esse. Nostrates Philosophiæ vestræ hactenus nimium indulsisse videntur. Si is non essem, qui sum, ex Geneſi Physicam conscriberem, & fortè jam conscripsissem, qua Christianam, non inceptam de formis, materiebus, prodigiis abstractionis aliisq;, scientiam docerem: quomodo Deus, quando ex perfectis creaturis, terra & aqua, alias creaturas produxit, non formam aliam substituerit, per quam materia subsisteret, sed eandem rem jam existentem aliter atque aliter ornaverit; quomodo bestiis non nova indita sit essentialis forma, qua materia antea subsistens, subsisteret novo modo, sed aliis atque aliis formis accidentalibus, quæ subsistentiam non dant, discreta sit, quemadmodum & vester D. Franzius quondam sensit, & verè scripsit. Eandem Unionem dicitis esse, per quam divinitas non sit extra corpus seu humanitatem: hanc itaque esse ubique. Si hoc velletis, divinitatem non esse extra humanitatem, i.e. nunquam ab ea separari: concederem. Sed quia asseritis, divinitatem non esse extra humanitatem, quemadmodum anima non sit extra

corpus

corpus suum: nego. Et 1. quidem, quia Scriptura hoc non dicit, 2. nec consequentia ex Scriptura infert. 3. Omnipotentiæ Divinitatis nunc oblivisciminì, quam alias nobis nostis objicere. Qui enim impossibile sit Deo, hominem sibi unire, ut tamen homo non sit ubicunque ejus est divinitas. Ais: Si divinitas est extra humanitatem: aut pars, aut tota. Si tota, ergò non est unita cum humanitate. Nego: nam quod extra est, est etiam intra: quod verò intra est, unitum est, ergò etiam quod extra: quemadmodum Sp. S. est in Petro, & extra Petrum in Jacobo; & tamen nihil est extra Petrum, quod non in Petro; nihil in Jacobo, quod non extra Jacobum, alio tamen præsentiæ modo. Locos, quos objicitis, quod attinet, Matth. 28. solvo ex Matth. 18. ubi humanitas nondum fuit præsens duobus aut tribus. Ephes. 4. Ut impleret omnia, solvo ex Eph. 1, ult. ejus, qui omnia implet: quo & Lutherus vester de impletione donis intelligens intendere mihi videtur. Et contextus de donis in sanctis omnibus loquitur. Sessionem ad dextram, ni si separaveris phrasin, nihil facessere nobis negotij pronuncio: si separaveris, Sophista es. Joh. 17. de decreta gloria ab æterno loquitur, ideò dicit, Apud te. Hæc ferè sunt, Vir plurimum Reverende, quæ ille mihi opposuit, &, ut verum iterum iterumq; fatear, constrinxit me iis ita, ut maximè sedula meditatione non expeditus, quam impeditus magis sim. Consilij inops, armis hisce impar, tuum quæro, peto, imploro consilium auxiliumq;. Est res hæc Dei. Per igitur Tuum, Vir pl. Rev. meumq; Deum quæso Te, me ædifica responsoriis ad hæc Tuis. Transmittes verò per Argentoratensem veredarium Basileam fratri meo inclusas. Ipsi enim rei hujus ignaro scripsi, literas ad me Tuas, ad has meas, quas Tibi per eundem fratrem meum transmisi, responsorias sedulus observet, & curet ad me Genevam. Fratri autem Christiano Arisæo nomen est. Ecce Vir pl. Reverende, per quantum iter literæ meæ studiosæ delassatæ sunt, ut Te rogarent, nec erubuerunt, ut ego non erubescam. Si præterea non ingratum est rerum novarum (magnam enim partem novæ puto, quæ homo hic objicit) nuncium, rem Deo gratissimam, mihi nec seros in annos obliviscendam, facies. Vale plurimum Vir plurimum Reverende & celeberrime, meisq; precibus facilis esto. Dabam Genevæ 12. Calend. Febr. A. C. 1644.

Plurimum Reverendam Tuam Dignit. & Celebr.

observantissimè colens

AUGUSTINUS ARISÆUS, Studiosus.

Inscriptio.

Viro plurimum Reverendo, Excellentissimo, Clarissimo

DN. JOHANN-GEORGIO DORSCHEO,

Sacros. Theologiæ Doctori, & ejusdem in incluta apud Argentoratenses Universitate Professori, celebritate nominis eruditionisq; famigeratissimo, Dn. Præceptori meo æviternum suspiciendo.

Argentoratum.

Sic mihi tum temporis Augustinus Arisæus, qvicunqve tandem fuerit, è Geneva scripsit. Ego tutiora secutus consilia, cum ex una parte latibula hominis suspecta essent, ex altera parte protestationes ejus aliqvam sinceri pectoris opinionem concitassent, atqve insuper Scriptura planè à Germano profecta videretur, respondi in hanc sententiam.

Salutem à DOMINO JESU & lucem PP.

§. 1.

ACcepi literas tuas & perlustravi, *Præstantissime Arisæe!* Non defuerunt rationes suspicandi, adornata esse isthæc omnia & in eum finem ad me transmissa, ut intelligerem, qvid Scholæ Genevensis Discipuli adhuc in recessu habeant, qvo dogma Berengarii tuerentur. Fecit tamen protestatio tua, ut judicium Christianæ charitatis seqverer. Etsi enim neqve *Christianum* qvendam *Arisæum*, fratrem tuum, *Basileæ* explorare potuerim per eos, qvibus istius explorationem diligenter commisi, nec qvisqvam Amicorum qvos GENEVÆ habeo, *Augustinum* aliqvem *Arisæum* nosse voluerit, qvi tamen Studiosos exteros, numero non adeò multos, nullo negotio indagare norunt; & tu neqve patriam expresseris, neqve conditionem tuam indicaveris, qvam cur tam operosè tegas, eqvidem capere neqveo, mitto tamen ista omnia. Accepto tua verba, qvibus scribis: *Eqvidem suspicaberis dolum, non Luthera-*

Lutheranum ex cordis sinceritate, ob Dei honorem & fidei suæ confirmationem hoc petere, sed fraudis machinatorem Calvinianum. Sed profectò Lutheranus hæc scribo, & mihi soli desidero legenda. Moriar, si Calviniano legenda communicavero, aut de verbis tuis ullum dixero. Excusas nominis tui patriæq; obvelationem. *Habes,* inqvis, *ignotum non tantum nomen, sed & patriam, & qvis sim. Ita est: sed ad meum vitandum periculum, qvod adeò timeo, ut id nulli hominum, nec id qvod nunc scribo, nisi tibi soli cognitum cupiam.* Excusatio non adeò solida est. Unde enim periculum, Geneva Argentoratum, ad me scribere, ad qvem ex eodem loco freqventer scribunt Dionysii Gothofredi summi JCti & olim apud nos Antecessoris, summæ doctrinæ filius Dn. *Jacobus Gothofredus* Coss. apud vos & lumen maximum, Dn. *David Clericus*, Orientalium literarum Professor publicus, *Abrahamus Dupanius* Minister Ecclesiæ, ut de Studiosis à nobis illuc proficiscentibus nihil dicam. In ipsa Geneva neqvaqvam tibi timenda est aut periculosa videri potest Lutheranismi professio. Cur itaqve timueris periculum, si ad Theologum tuæ fidei scriberes, dispicere profectò neqveo. Qvod ergò sine gravi causa in tam arduo negotio nomen tuum dissimulasti, probare non possum, cum apud me etiam extra periculum planè positus fuisses, si omninò nomen tuum exposuisses. Agnosces imprudentiam tuam & vanissimum metum, qvi hactenus agnosci noluisti; ego agnosco in te exemplum adolescentiæ inconsultæ & præcipitis, qvæ se peregrinationibus committit non satis prudenter, & magis de Viatico, qvam animæ præsidio sollicita est; & nihilominus, qvocunqve venit, audacula est & loqvax de rebus etiam supra captum positis. Unde non rarò in insidias incidit vix evitabiles. Postqvam autem ferè irretita est, timere incipit, ubi nulla pericula sunt, imò ubi remedia comparari possunt; secura autem est de periculis, in qvibus maximè hæret, & sic deniqve pessundatur. Videtur eadem ratione tibi per pauciſſimos illos dies, qvos Genevæ exegisti, imposuisse tua imprudentia, cum in amicitiam recepisti Studiosum Theologiæ Calvinianum, & in controversiarum theologicarum agitationem cum illo te miscuisti. Fortassis considerationem meam de Cœnâ contra Basileensem Zwingerum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740012614/phys_0027
DFG

gerum superiori anno editam non ita penitus in animum admisisti tuum, ut ejus robora universa perceperis. Aliàs profectò ex illis qvidem subtilitatibus te facilè extricare potuisses, qvas ille texere tibi videbatur. Rectè autem facis, qvod ab Antagonista tuo inflicta vulnera, qvæ *serpere adurente* qvadam *flamma* non diffiteris, detegis. A me, ut egeas auxilio, factum esse, vix tueberis. Qvod autem à me auxilium postulas, in eqvidem non detrecto. Non debuisses autem eousqve silentio tuo indulsisse, donec *pudendum & ulcerosum vulnus* tuum rddderetur. Difficulter, qvod hucusqve processit, in cicatricem coire solet. Piè precaris Deum Opt. Max. ut te juvandi mihi reddat gratiam. Idem ego apud thronum gratiæ contendo. Jure tibi, si vel ulterius prolapsus esses, auxilium denegare non possum. Nam & Christianismus id à me reqvirit, & muneris, qvod gero Deo dispensante, ratio. Juris ergò & humanitatis vinculo ad te trahor. Beneficium mihi ingens erit, si vulnus animi tui curaveto.

§. 2. Principio in ipso limine passus es tibi imponi, mi Arisæe, cum concessisti, totum complexum in unione sacramentali esse corpus Christi. Ita enim Collator tuus: *Procul dubio pugnas pro* ῥητῷ, *εοῦς hoc, hoc totum complexum est corpus meum, hoc totum complexum est sangvis meus.* Hic non debuisses admittere, ut ex nostra sententia diceret, *totum* complexum sacramentale esse, si panem respicias, corpus Christi; si vinum, sangvinem Christi. Dum enim non expunxisti τὸ Totum, jam involvisti te difficultatibus, & sophistæ cavillandi præbuisti materiam. Inferendi exinde hausit occasionem, qvas credere necesse haberemus, totam substantiam panis & vini esse sublatam & abolitam, & nil superesse nisi corpus & sangvinem Christi. Simplicius & cautius dicitur, datum, sive exhibitum, sive complexum sacramentale esse respectu panis corpus Christi, respectu vini sangvinem Christi. Respectu panis & vini dico, ut διδόμενα sive data sacramentalia distingvam, non ut causam dicam proximam, ex qva τὸ διδόμενον sit corpus Christi. Vel ut adhuc simplicius dicam: datum sive porrectum sive complexum sacramentale, esse partim cum pane (particulas in, cum, sub, à Calv. usurpatas vide AntiCog. disp. 4. ad th. 11. §. 3.

th. II. §. 3. p. 168.) corpus Christi, partim cum vino sangvinem Christi. Est itaqve τὸ δἰδόμενον sacramentale, qvod non est simplex, sed unitum, corpus Christi in primo actu sacramentalis distributionis, & in altero sacramentalis distributionis actu sangvis Christi, etiamsi non totum δἰδόμενον sacramentale sit vel corpus vel sangvis Christi.

§. 3. Qvandoqvidem Logicæ tanto acumine se jactabat Collator tuus, debuisses illum commonefacere, propositionem Salvatoris in explicata dispositione Logica collocatam non esse. Neqve enim in familiaribus colloqviis, etiam magnorum virorum, semper termini enunciationis alicujus Logicè exprimuntur & disponuntur, qvi tamen nullo negotio ex tenore sermonis & consideratione rei gestæ exprimi & disponi possunt. Manet interim verborum proprietas, nec necesse est, nisi alia causa evidens urgeat, ad tropum confugere. Christus autem in suis sermonibus ad consvetudinem loqvendi descendit, etiam cum mysterium maximum manifestaturus erat, ut ita sublimia captui nostro attemperaret. In ultima illa testamentaria dispositione magna condescensione usus est. Tractavit ante cum discipulis suis V. T. Sacramentum, agnum sc. paschalem. De illo distributo non dixit, *hoc est Corpus meum.* Unum enim erat terrenum, qvod cœleste duntaxat adumbrabat. Et illa adumbratio procul dubio à Christo explicabatur, de qvo & notum fuit Apostolis, qvod is esset agnus Dei tollens peccata mundi. Certè non dissimulabat Salvator, qvod sit Pascha pro nobis immolandum & ad sangvinis effusionem deducendum. Defunctus autem V. T. Sacramento, more recepto, *de qvo in Myssaria missæ cap. 6. §. 30* altius assurgere Christus & ex consideratione agni typici ad agnum antitypum, ex intuitu V. T. ad N. Testamenti mysterium deducere voluit. Ibi incomparabilis discrepantia ostendenda inter δἰδόμενον sacramentale hujus & illius Testamenti; utiqve talis & tanta, qvalis & qvanta inter umbram & lucem. Dicit igitur Salvator, Hoc, qvod nunc vobis trado, non est sicut Istud. Immensum inter istæc duo intercedit discrimen. Istud plurimam ad Corpus & Sangvinem meum relationem habuit. Agnus enim immolatus corporis mei mactationem,

Sangvis agni superliminaribus illitus virtutem sangvinis mei effundendi repræsentabat: nec repræsentabat duntaxat, sed fide communicantibus & amplectentibus applicabat & obsignabat: (de qvo vid. dissert. de agno paschali affixam Mysar. Miss §. 53. & seqq.) sed substantiam aliqvam cœlestem non complectebatur. Istud itaqve qvod V. Testamenti erat διδόμενον, utut talem ad corpus & sangvinem meum scheſin habeat, utut Christum, ut crucifixum & mortuum, in eo imaginari & sibi applicare potuerint credentes, utut adumbraverit passionis & mortis Christi triste spectaculum, non erat corpus meum, non erat sangvis meus; neqve hac ipsa nocte & hoc ipso actu fuit, qvo tam propinqvus ego agno ejusq; sangvini effuso fui. Hoc verò, qvod nunc vobis dispensō, est corpus meum, est sangvis meus. Ita assurgit revelatio tremendi mysterii.

§. 4. Qværis, an TOTUM illud, qvod Christus dispensabat in N. T. mysterio, sit dictum corpus Christi? sit dictum sangvis Christi? Respondetur, id necesse non esse ut dictum putemus, etiamsi asseveremus, hoc qvod Christus in N. T. mysterio dispensavit, esse Salvatoris corpus, esse Salvatoris sangvinem. Istud enim, qvod in mysterio V. T. dispensabatur, TOTUM id erat, qvod esse dicebatur, qvia, ut dixi, unum atqve simplex erat. Neqve enim si substantiam spectes, aliud erat, qvod διδομένῳ illo continebatur, ut pars cœlestis. Nunc verò ipsa dicendi occasio, qva à V. T. mysterio ad mysterium N. T. adscendebatur, & ipse modus dicendi Christi aliud indigitat & plane sive unitum, sive unà διδόμενον. Noluit falli sensus Salvator circa suum objectum proprium. Visus panem intuebatur è mensa desumtum; idem vinum intuebatur, in calice promto. Panem illum, qvatenus se oculis objiciebat, in se esse corpus Christi, & vinum illud, qvod in calice conspiciebatur, esse in se sangvinem Christi, nec illi credere poterant, nec vis verborum credere cogebat. Etiamsi enim, cum Salvator dixit, *Hoc est Corpus meum*, in διδομένῳ oculis usurpatus fuerit panis, non tamen certò inferri potuit, id ipsum, qvà oculis usurpabatur, esse corpus Christi, adeoq; TOTUM id, qvod dabatur, corpus Christi esse. Præsumere enim debuit & potuit

mens

mens pia, qvæ circa talia ratiocinata est, cum constet, corpus Christi non esse panem, nec conversionis aliqva sit indicina, aut ad constituendum mysterium aliqva appareat necessitas, esse aliqvem modum in thesauris sapientiæ & scientiæ divinæ, juxta qvem Hoc, qvod traditur in mystica dispensatione, sit corpus Christi, qvicqvid sit de veritate panis; cum, ut id, qvod porrigitur, sit corpus Christi, non sit necessarium, ut TOTUM sit corpus Christi. Qva de re in AntiCogentio Dissert. qvartæ §. 2. &c. & Dissert qvintæ § 1. te plenius informare potuissent. Non igitur subjectum propositionis Salvatoris ita exprimendum est, qvasi diceretur, qvicqvid ego vobis exhibeo, est corpus Christi, qva ratione exprimendum esset, si ita indiscriminatim diceretur, totum hoc complexum est corpus Christi. Satis est ad verificationem propositionis, si hoc qvod datur respectu alicujus διδομένε cœlestis sit corpus Christi. Si autem totum complexum & porrectum sacramentale enunciatione plena resolvere velimus, dicendum erit; Id, qvod in isto N. T. mysterio dispensatur in actu priori, secundum id, qvod oculi vident, est panis verus, è regno potentiæ, qvorsum ex se & in se pertinet, ad officium regni gratiæ elevatus; secundùm id verò, qvod non videtur, qvod Christi nova nobis revelatio manifestavit, qvo augustius est mysticum nostrum epulum V T. Sacramento, est ipsissimum JESU mellitissimi corpus, habitaculum omnis plenitudinis Deitatis vivificum: in actu posteriori secundùm id, qvod in sensus incurrit, est vinum verum, eodem modo ad sublimiorem usum exaltatum. Secundùm id verò, qvod in sensus non incurrit, est pretiosissimus & salvificus & mundificus sangvis JESU, agni immaculati, pro redemtione generis humani effusus. Sic nihil mutatur in proprietate vocabulorum. *Hoc* enim propriissimè non notat tantùm τὸ βλεπόμενον, sed τὸ διδόμενον, uti est in actu oblationis, traditionis & pronunciationis Christi disponentis & qvasi limitaneum lapidem inter V. & N. Testamenti mysteria constituentis.

§ 5. Non est improprietas aliqva, si id διδόμενον per *Hoc* significatum, tacito eo, qvod in oculos incurrit, eatenus explicetur & declaretur, qvatenus invisibile & cœleste qvippiam con-

tinet. Et hoc, qvod datur, rectè esse corpus Christi dicitur, etiamsi non totaliter & per essentiam sit id, sed ἡνωμένως & συμπεπλεγμένως. Colligitur hoc aliqvatenus ex SS. Baptismo. Si enim qværas, qvid est Hoc, qvo applicato per Sacramentum baptismi regeneratio perficitur? Rectè respondetur ex verbis baptismi solennibus; est Deus Pater, Filius & Spiritus S. Illis enim per Sacramentum hoc gratiosè appropinqvantibus perficitur regeneratio. Neqve tamen Deus Pater, Filius & Spirius Sanctus est Totum id, qvod in Sacramento baptismi applicatur. Adhibetur enim & aqva ex regno potentiæ itidem in regnum gratiæ, ad supernaturalem usum, evecta. Ita S. Basilius in Psal. 22. *Cum istud elementum aqvæ acceperit Spiritum S. fit Sacramentum, & jam non erit aqva potationis, sed sanctificationis.* Pertinent huc Paulini Nolani ad Serenum ep. 12. Versus.

Sanctus in hunc cælo descendit Spiritus amnem,
Cœlestiq; sacras fonte maritat aqvas.
Concipit unda Deum, sanctamq; liqvoribus almis
Edit ab æterno semine progeniem.

Non autem oportuit ad sacramentalis propositionis formationem aqvam nominari, qvæ sensibus obvia est, & vocatur à Gregorio Nazianzeno orat. 40. de baptism. Τὸ θεωρητικῶς καὶ σωματικῶς λαμβανόμενον, cum SS. Trinitas, qvæ πνεῦμα est, in hoc Sacramento, sit Τὸ ἀσωμάτως καὶ ἀθεωρήτως σωτηρίον, τὸ ἀληθινὸν καὶ τὸ βάθη καθαίρον.

§. 6. Videbaris qvidem, mi Arisæe, te satis muniviſſe, cum scisciranti Calviniano ita respondebas: *Sanè, inqvam, si eo tamen sensu acceperis, qvod id, qvod est totius complexi pars, sit corpus Christi, non autem omne id, qvod ad complexum concurrit, qvemadmodum si de Cantharo vini pleno dixero, hoc vinum est, id est, aliqvid qvod ad totum hoc complexum faciendum concurrit, est vinum.* Sed revera, nisi expunxeris Totum, affirmabis & negabis idem. Affirmabis, totum complexum sacramentale esse corpus Christi: negabis totum complexum esse corpus Christi, sed aliqvid tantum, qvod ad totum hoc complexum faciendum concurrit. Sed transmittit hoc adversarius tuus nunc, & postea eo utitur.

§. 7. Nunc

§ 7. Nunc dicit, ῥητὸν tuum l. *dubium esse & lubricum*. Nam, inqvit, *si concessero, illud esse* τὸ ῥητὸν, *tu etiam concedere cogeris, ejusdem propositionis* ῥητὸν *esse, qvod Pontificij dicunt, hoc est corpus meum essentialiter & tantum: ut qvando dico, hoc est Panis,* ῥητὸν *est, hoc, qvod ostendo, est essentialiter & tantum, sive non alio præterea ullius essentiæ concurrente, panis. Habebis ergò jam propositionem ambiguam, pro qva utraqve pugnabit* τὸ ῥητὸν: *qvam eliges? Sanè si, ut vos facere soletis, ex* ῥητῷ *retinendo argumentatus fueris, Pontificiorum vestra verior est tanto, qvanto sæpius & hinc magis propriè* τὸ *Hoc demonstrat rem unam qvam complexam. Sed neutra præponderet! Unde me deduces à Pontificiorum sententia?* Facilis responsio est, si TOTUM expungatur, aut non accipiatur formaliter. Nunqvam enim, si simpliciter dicas, hoc complexum, porrectum à Christo, est corpus ejus, exinde inferre licebit, E. hoc porrectum sacramentale est essentialiter & tantum corpus Christi. Est enim descensus ab indeterminato essendi modo ad determinatum, perinde ac si dicerem, Verbum caro factum est; Ergò Verbum Caro factum est essentiali transmutatione: Verbum est Caro, E est caro essentialiter, per essentialem verbi in carnem mutationem. Qvasi nullus alius à Deo modus dari posset, qvo Verbum esset caro, qvam ille, qvo Verbum in carnem commutatur. Aut, ut conformius ad modum loqvendi eucharisticum accedamus, sicut dicit Christus, Τὸ διδόμενον ἅγιον est corpus meum, ita etiam Angelus apud S. Lucam, cap. 1, 35. ait, Τοῦτο sc. qvod συλλαμβάνεις ἐν γαστρὶ v. 31. Τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον ἔστιν (κληθήσεται pro ἐστι sumi h. l. nemo negat) υἱὸς θεοῦ: Ubi non est fas inferre. Ergò sanctum hoc ex Maria genitum essentialiter & tantum est filius Dei, non etiam filius hominis. Nec verum est, qvod nullus casus sit, ubi non falsum sit, si qvis dicat, hoc est panis, & velit ita interpretari, hoc, qvod ostendo, est tantum & essentialiter, sive non alio præterea ullius essentiæ concurrente, Panis. Nam & in communi sanè vita fieri potest, ut, si porrecto pane qvis dicat, hoc est panis, ita illa enunciatio explicari neqveat, hoc qvod ostendo est essentialiter & tantum, sive non alio præterea ullius essentiæ concurrente, panis. Potest enim pane ali-

ne aliqvid contineri, qvod toto genere à panis essentia distat. Verificatur autem enunciatio, si addatur reduplicatio, scilicet, hoc qvod ostendo, qvà oculis usurpandum expono, est panis tantum, essentialiter, nullo alio præterea ullius essentiæ concurrente. At Christus non loqvitur de ostenso, sed dato & oblato. Hoc autem longè amplius esse potest, qvam ostensum. Nec inqvit in dispositione sacra Salvator, hoc, qvod ostendo, qvod oculis vestris exponens offero, est corpus meum, sed simpliciter ait, *Hoc est Corpus meum.* Itaqve ad repræsentationem aut adumbrationem neqvaqvam respicit. Et ex modo & scopo agentis & dicentis Christi manifestum est, δεῖκτον duplex qviddam eum hic agitare, unum qvod oculis usurpare licuit, alterum qvod ex altiori principio revera adsit & exhibeatur, licet non ostendebatur. Agitabat enim, ut jam observavi, sublimius, plenius, infinitè perfectius N. T. Sacramentum ordinare in succedaneum Sacramenti paschalis V. T. Vides verborum Christi explicationem nostram, Arisæe, nullam complecti ambiguitatem, sed sensum habere simplicissimum, si non extra enunciationis Christi situm, in circumstantiis temporis lociq; & actibus tum antecedentibus tum conseqventibus, sed intra istum ambitum æstimetur.

§. 8. Intellexerunt etiam ipsi Pontificii, suam transsubstantiationem ex verbis, *Hoc est Corpus meum*, nulla solida conseqventia deduci, sed ut ea firmetur, ad determinationem matris Ecclesiæ recurrendum esse. Potuisses hoc didicisse ex meis vindiciis *ad c. 4. Exodi*, qvas superiori anno evulgari, ubi *Dissertatione 4. §. 8.* recensui Petr. de Aliaco Card. Cameracensis, Scoti, Durandi, Paludani, Gabrielis Biel, Johannis Parisiensis, Joh. Pici Comitis Mirandulani, Johannis Langii, Georgii Cassandri, Joh. Fischeri Roffensis Episcopi, Joh. Bassolii, Thomæ de Argentina, Petri à Soto, Card. Cajetani, & Joh. Antonii Pandosii testimonia, qvibus communiter statuunt, ex vi verborum Christi transsubstantiationem non effici. Adscribam, si forsan opusculum non est ad manus, vel unicum Joh. Antonii Pandosii Cosentini testimonium. Is lib. de Cœna An. 1534. Romæ sub censura Fr. Thomæ Mutinensis Ord. Præd. Mag. Palatii edito, cap. 11. p. 52. ita disserit: *Egregij qvidam*

sacri

sacri Doctores tenent, qvod Christi corpus non relinqvendo locum proprium, nisi panis converteretur in illud, non posset esse in Sacramento. Unde dicunt, qvod illius veritas salvari non possit, si substantia panis remaneret & non converteretur in Christi corpus. Sed dubitabile inqvam illud est. Qvia à Christo effluxit hoc Sacramentum, & à principio nulla facta est mentio de ista conversione, neqve nos cogit ratio eorum, qvod dicente Christo, hoc est corpus meum, panis non remaneret, qvia esset propositio falsa: non enim tunc minus esset vera, qvam modo sit. Non enim nunc accidentia monstrantur, sed contentum sub accidentibus. Ita & contentum sub pane demonstratur, ubi panis substantia remaneret: sive ergò remaneat, sive non remaneat panis, qvia de hoc habendus est sermo, non videtur mihi probabile, aut valdè tutum, veritatem Sacramenti salvare sola conversione panis, sic qvod sine illa salvari non possit, ut asserunt. Contra qvos arguitur, qvia Deus posset facere corpus suum præsens speciebus panis etiam panis substantia remanente. Non enim video repugnantiam, cur id fieri non possit; cum corpus Christi esse præsens substantiæ panis, non plus sit ratio in se falsa, qvam qvod sit præsens speciebus panis. E. tunc esset præsentia corporis Christi, & tamen non per conversionem substantiæ panis. E. præsentia illa non est per se terminus conversionis substantiæ &c.

§. 9. Habuisses ergò præsentissimum medium, qvo à Pontificiorum sententia tuum illum Antagonistam, salvis etiam tuis hypothesibus, abducere potuisses, neqve opus fuisset, ut Te fatigaret frivolis illis objectiunculis, qvas ex Bellarmino & aliis promsit. Planè enim à Sutlivio Anglo, Francisco Junio, & aliis contra Bellarminum disputantibus confutatæ sunt. Ecce enim, qvam insana est exceptio, contra argumentum, qvod S. Paulus etiam post consecrationem panem appellat 1. Cor. 10. & 11. *hunc articulum ex sua sede dijudicandum, & potius à proprietate verborum Pauli, qvam à proprietate verborum cœnæ discedendum esse.* Qvis negabit, verba S. Pauli 1. Cor. 11. esse sedem articuli de Sacramento Eucharistico? Et tamen ibi tertia vice post consecrationem panis vocatur v. 26. 27. 28. Nec opponendus est locus 1. Cor. 10, 16. sed amicè ad sedem referendus. Qvam absurda hic est, qvam inducit supercilius tuus Antagonista, Synecdoche panis pro tota actione sacramentali

Sutliv. de Missa l. 2. c. 1.

mentali, vel saltem tota actione circa partem unam hujus Sacramenti: Substantialis partis pro actione? Materiæ pro forma exteriori? Sed qvid illud? *Qvando nos in Sacramento Cœnæ sumimus verum panem eumq; consecramus, postea distribuimus, annon corpus Christi participamus?* Sit ita, sed si panis in ipso consecrationis momento desinit esse, nec in ipsa distributione amplius supereſt, tum panis non est communicatio corporis Christi. Videre de eo potuisses *Pentadec.* meæ ante sexennium editæ *Disp. 8. §. 38. n. 2.*

§. 10. Sed qvam temerè subjicitur: *Panis vocari potuisset per ampliationem, id qvod fuit panis.* Si conversio aliqva antecedanea constaret, ampliatio stare potuisset. Nunc omnis talis conversio subvertitur. Non enim conversio fit in id, qvod jam est, multò minus in id, qvod jam in sua sublimi perfectione est. Sic, ut Bellarmini exemplis utar, Virga Aaronis non conversa est in serpentem jam ante existentem, sed qvi nunqvam antea erat. Aqva non est conversa in vinum antea existens. At corpus Christi pronunciata consecratione Christi jam non erat duntaxat, sed erat in infinita subsistentia, erat templum totius plenitudinis Deitatis personale, *Joh. 2, 19. Col. 2, 9.* atqve adeò erat in sublimi sua perfectione. Nec conversio ad constitutionem mysterii sacramentalis reqviritur. Imò permanentia panis ex analogia Sacramenti baptismi reqvinitur. Nec verba ullo modo ad conversionem aliqvam substantialem deducunt. Qvid ergò utemur ampliatione?

§ 11. Ecqvi verò consistent ea, qvæ Genevensis blaterat, cum ait: *Illud annon propriè accipere possumus hoc sensu: Id cui benedicimus, an poculum tantum commune, non autem participatio sanguinis Christi est? Id qvod frangimus, id est, distribuimus, (ut vos explicatis, præsertim extra verba institutionis) an panis tantùm est, non autem communio corporis Christi? habes proprietatem.* Non salvat hac interpretatione suam interpretationem verborum S. Cœnæ pro transsubstantiatione Papista. Nam id cui benedicimus, qva benedictione eget, poculum commune est. Si enim benedictum jam esset, benedictione non amplius egeret. Benedictione ergò percepta desinit non Vinum esse, sed Vinum commune esse, & qvia commune non amplius est, sed functioni supernaturali consecratum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740012614/phys_0036
DFG

secratum, jam in porrectione & perceptione fungitur suo officio, & fit participatio sangvinis Christi. Non esset verò participatio sangvinis Christi vinum benedictum, nisi supereſſet. Si enim desineret esse qvoad substantiam vinum, jam per benedictionem non esset κοινωνία corporis Christi, sed ὑπόστασις. Idem de pane dicendum est.

§. 12. Deniqve qvam frigidè tecum egit, cum dixit, *Anne ideò in S. Cœnæ verbis dispositivis transsubstantiatio concedenda non est, qvia vocatur panis fractio? At manifestissimum est, esse synecdochen. Non itidem sequitur, qvodcunqve, cum fit fractio, & qvidem talis, qvalem vos etiam ante consecrationem habetis cum Pontificiis communem, est panis, id etiam post consecrationem est panis. An qvia impossibile est, panem mutari in corpus Christi & manere accidentia? At Christus novit, qvomodo loqvi debuerit; est veracissimus, est omnipotentissimus, ut rursus ipsi soletis dicere pro vestra sententia!* Miror Te ad jejuna hæc & frivola scribere; *Ego hic dixi, qvæ potui, ne faterer, qvod Tibi fateor, me non posse refutare.* Sit enim 1. Cor. 10. unus actus sacramentalis circa panem pro cæteris omnibus positus, qvid dicemus de fractione in prima Cœna? Ex ea enim potissimum ducitur à Sutlivio, Bullingero, Trelcatio, Mornæo, Alstedio &c. argumentum. Qvod fas est etiam post pronunciata consecrationis verba frangere & in partes dividere, id non est essentialiter & tantum corpus Christi; qvia hoc est omnis fracturæ & divisionis expers. At panem eucharisticum non tantum fas est etiam post pronunciata consecrationis verba frangere & in partes dividere, sed & ille reapse in prima Cœna ita fractus & in partes divisus est. Ergò panis eucharisticus non est essentialiter & tantum corpus Christi. Non itaqve urgent, qvi transsubstantiationi adversantur, stultissimè adornatam istam propositionem, qvam tuus Disputator attulit; *Qvodcunqve, cum fit fractio, est panis, id etiam post consecrationem est panis:* nisi addatur, *si ea fractio fiat post consecrationem.* Possibilitatem mutationis panis in corpus Christi tuebimur Omnipotentia, Omniscientia & Veracitate Dei, si mutationis ejus claram habuerimus literam, sicut eam habemus pro præsentia corporis & sangvinis Christi, omnibus bonæ interpretationis regulis adhibitis efflorescentem.

Et facilè exibilare potuisses Disputatoris tui sannas, qvibus pia nostra patrocinia prosecutus est. Qvis autem Te stupor obruerit, ut stupida ista, neqvaqvam autem stupenda, discutere non potueris, non assequor.

§. 13. Sed, pergit tuus Achilles, *nullus es II. qvia primò (omisso, qvod fortè propositionem mihi non poteris dare duorum ῥητῶν.) propositio vestra non est Logica; non retinet ergò ῥητὸν. Non hoc volo, qvod omnis propositio, qvæ non est Logica, non habeat τὸ ῥητὸν, sed qvæcunqve habet τὸ ῥητὸν propositio Categorica, sit Logica. Vestra, inqvam, pergit, non est Logica. Qvo enim reduces? non est ex ulla prædicabilium qvæstione: nec est identica. Est, qvi ad singulares refert & explicat, Hoc est corpus meum, i. e. corpus meum, qvod est sub pane hoc, est corpus meum. Id nonnulli rident. Ego non qvidem ridebo: Dicam tamen, qvod sentio: insulsum mihi videtur. Non enim singularis propositio dici meretur, qvando idem etiam nomen habet pro subjecto & prædicato, qvalis est, Petrus est Petrus, & illa, corpus meum est corpus meum, sed tautologia. Secundo revera minimè caret tropo, qvod patebit ex ejus & similium, qvas dare soletis, resolutione &c.* Sed & hic Hectore non est opus. Dictum jam ante, ex vulgari modo loqvendi & agendi ad mysterii hujus explicationem esse accommodata verba Salvatoris. Dum enim panem sumsit, benedixit, fregit, dedit, accipere jussit, præoccupavit Discipulorum curiositatem, qvi procul dubio qvæsituri fuissent, *qvid est hoc, qvod benedictione singulari denuò nobis parat Magister?* accepimus de pane, accepimus de agno, saturati sumus, Cœna gemina peracta est? *Qvid est hoc, qvod nobis novo modo dare molitur?* Videmus panem: nunqvid ultra dabitur? *Qvid*, Deum immortalem, *est hoc, qvod percepturi sumus? Qvid est hoc*, qvod post mortis imminentis tristissimam denunciationem nobis porrecturus est & jam oribus admovendum commendat? simplicissimè Christus: *Hoc est corpus meum.* Nimirum ad mentem desideriumq; discipulorum & ad summam mysterii respexit, & auribus exposuit rem cœlestem, corpus Deiferum, cum oculis panis exponeretur. Inde & ex toto agendi & loqvendi modo, qvo Christus tum usus est, eluxit, complexum, seu, ut veteris Græciæ Dd. loqvuntur, δεῖπνον esse, qvod porrigit Christus.

§. 14. Inde

§. 14. Inde liqvet *primò*, *hoc* in subjecto sermonis Christi non stare tantum pro pane absolutè & in se considerato, sed notione communi & inexplicata, uti apprehendebatur à Discipulis ejus, complecti *traditum* sive *porrectum* sacramentale, qvod partim oculis usurpabatur, partim ex ordinatione Christi decernebatur & eatenus extra sensuum ambitum erat. In prædicato, si Logicè disponere voluisset & technicè agere Christus, dicturus fuisset, est &, qvod videtis, Panis, &, qvod Novi T. mysterium adfert, simul corpus meum, illud vivificum, illud beatificum. Sic satisfeciisset, si Diis placet, artifici tuo Logico. Sed satis fuit, satisfacere desiderio discipulorum, & non indicato eo, qvod oculis erat obvium, id exprimere, qvod ex novo apparatu Salvatoris destinabatur. Unde liqvet *secundò*, non nostram esse illam analysin, *hoc est corpus meum*, i. e. *Corpus meum est corpus meum.* Nam certè qværenti, qvid est id, qvod super Christum in Jordane baptisatum descendit? si respondeam, *hoc est Spiritus Sanctus*, non fas esset, uti tuus Disputator facit, tavtologicam facere propositionem & ita resolvere, *Spiritus Sanctus est Spiritus Sanctus.* *Hoc* enim stat in notione communi & inexplicata formaliter, etiamsi materialiter complectatur id, qvod in explicatione prædicatum repræsentat. Neqve in subjectis extra complexionem positis ita fas est resolvere. Sic, uti tuus Disputator exemplificat, qvando Aristotelem ostendero in peripato dicens, hoc est Aristoteles, hoc confusè positum est pro hoc supposito, nec fas erit resolvere, hoc est Aristoteles, i. e. Aristoteles est Aristoteles. Rideat ergò aut insulsam judicet illam resolutionem, suorum hominum despiciet ille commentum.

§. 15. Liqvet inde *tertiò*, propositiones, qvibus se oblectatur tuus Disputator, non ingenuè tractari. Meministi, qvod & supra dixi, me in mysterio amare exempla ex S. literis formata. Sed qvia in principio illud de dolio & cantharo in medium adductum est, candoris Christiani fuerat, non ultra proponentis sententiam trahere. Sanè rectè dicitur, qvocunqve idoneo & capace vase porrecto, si verè dicitur, *hoc est Vinum sive Rhenanum, sive Creticum.* Recte etiam elicitur, id qvod in vase oculis exposito continetur, esse vinum sive rhenanum, sive creticum. Sed *hoc* formaliter non

ſtat vel pro vaſe, vel pro vino, ſed notione communi & inexplicata collocatum eſt. Nec fas eſt reſolvere, *Vinum ſive rhenanum ſive creticum eſt vinum ſive rhenanum ſive creticum.* Sed hoc modo: hoc porrectum non eſt vas tantum, qvod oculis occurrit, ſed eſt & vinum ſive rhenanum ſive creticum. Fruſtra itaqve longos logos texuit Diſputator tuus. Aliàs magna eſt inter propoſitiones differentia. Nam vas, ſive dolium ſit ſive cantharus, ex ſe ordinatum eſt ad aliqvid continendum. Unde porrecto cantharo aut dolio oſtenſo animus curioſus non tam de vaſe ſollicitus eſt, qvam de ipſo contento. Diſcipulorum animi aliter affecti fuerunt. Nam panem in ultima illa Cœna, cum primùm adornari ad aliqvid animadvertiſſent, non reſpiciebant ut ordinatum ad aliqvid continendum. Nec illum uſum panis, qvem infinita Salvatoris ſapientia introduxit, divinando ratiocinandove excogitare poterant; ſicut ejusmodi vaſe conſpecto facilè intelligitur, in qvem uſum exhibeatur. Itaqve non dimittebant ex animo panem, qvin illum animo complecterentur & attenderent, qvid cum illo futurum eſſet. Manet itaqve adhuc in complexu. Statim enim atqve audiverunt Diſcipuli, de *Hoc* dici, qvod ſit *Corpus Chriſti*, intellexerunt, hoc ſingulariſſimum & incomparabile porrectum eſſe, nec tantum panem, qvem ex ſenſus miniſterio intellexerunt, ſed ipſiſſimum Salvatoris corpus, qvomodocunqve tandem cum eo comparatum eſſet, de qvo tum dubitare nefas eſſe cenſuerunt, magno exemplo ab hominibus aliàs curioſiſſimis & ad contradictionem dubitationemq; promtiſſimis circa hoc myſterium dato. Interim habent aliqvam ſimilitudinem iſtæ de re profana & ad regnum potentiæ pertinente propoſitiones. Unde cum in cella vinaria (deſcendam enim vobiscum) dolium oſtenditur, & dicitur, *hoc eſt vinum rhenanum*, non opus eſt, ut ita reſolvamus, *hoc dolium eſt vinum rhenanum*, vel, *hoc dolium & vinum eſt vinum rhenanum*, vel, *hoc qvod eſt in dolio eſt vinum rhenanum.* Supereſt illa reſolutio, qvæ eſt complexorum aut conjunctorum, ſive porrectorum, ſive oſtenſorum; hoc oſtenſum, qvod in cella vinaria eſt, non tantum eſt dolium, qvod vides, ſed eſt unà vinum rhenanum, qvod non vides, veriſſimè tamen tibi dicitur. Hoc porrectum, qvod in manu

mea

mea est, non tantum est cantharus, qvem vides, sed est cum eo & in eo, & unà vinum rhenanum. Revera ergò in ostenso & porrecto illo duæ res dicuntur. Exempla de stella in capite Tauri, de Aristotele in Peripato, de fornace in hypocausto, dilucida non sunt, non procedunt, frigent. Nam rem unam simplicemq; in subjecto habent, qvam *hoc* interdum denotare, nosti, nos non inficiari. Nec metonymica dici potest illa Salvatoris enunciatio, hoc est corpus meum. *Hoc* enim non est continens, sed complexum, & describitur à Salvatore ab eo, qvod incomprehensibile & tremendum reddit mysterium. Et si vel maximè continens esset, non poneretur pro contento, sed diceretur contentum de continente, aut absurda fieret, juxta tuum Disputatorem, resolutio, corpus Christi est corpus Christi.

§. 16. Sed, mi Arisæe, debuisses ab acumine ejus contendere, ut tibi explicaret, ubinam *Hoc* sit vel metonymicè, vel synecdochicè positum. Nuspiam procul dubio locum inveniset. Dicit Disputator tuus; *hanc resolutionem, hoc, qvod est in hoc loco, non tantum est dolium, sed & vinum rhenanum*, veram qvidem esse, sed elliptica, sic, si ad eum modum resolverimus propositionem sacramentalem, illam figuratam futuram. Sed qvid hoc ad rem? De *figura* sive grammatica, sive rhetorica non est nobis disputatio, sed de *tropo*, qvi vocabulum à nativa sua significatione dejicit. At qvi tam propria qvam tropica locutio habitum istum seu figuram induere potest, ut sc. à nuda & simplici consvetudine oratio mutetur & peculiarem aliqvam faciem induat. Itaqve ubi tropica est locutio, ibi præter translationem vocis à nativa significatione ad alienam accedit figuratio. Et hoc Barth. Keckermannus *lib. 2. System. rhetor. c. 11. p. 196.* opponit *gravi*, ut ait, *errori rhetorum, qvi tropum à figura sic distingvunt, ut figuram tantum tribuant orationi troporum experti, ut sit habitus orationis à recta & simplici consvetudine mutatus citra significationis immutationem.* Qvicqvid sit, figurata propositio necessariò Keckermanno non est tropica. *Dignitas orationis efficit orationem figuratam. Itaqve consistit in tropis & schematibus. Tropus est, cum vox à propria significatione deflectitur ad alienam. Schema autem sive figura est orationis forma, qvae ea alio qvo-*

piam

piam modo, qvam propriæ significationis in aliam commutatione, à simplici ac communi usu immutatur in elegantiorem : inqvit Gerh. Joh. Vossius *in Instit. Orat. lib. 4. cap. 5 p. 90. & lib. 5. cap. 1. p. 284.* Dicatur ergò elliptica oratio Christi, qvia omisit exponere adessentiam panis, qvæ ipsis ingerebatur oculis. Ita causæ nostræ nihil decedet. Observa verò qvam sophisticè tecum agat Disputator tuus, cum infert, si utiqve in vestra qvoqve sententia tropus est, aut ellipsis, aut synecdoche, qvi scis, vester an noster sensus magis recipiendus sit. Qvomodo enim ellipsis tropus est? ubi de synecdoche antehac actum? qvid de ea evictum? Dicit Disputator noster, nostram resolutionem propositionis eucharisticæ esse talem, ut appareat, continens esse positum pro contento. At talis positio non est synecdochica, uti rectè annotavit Vossius *l. 4. J. O. c. 3. p. 142. & seq.* Ineptè ergò synecdochen subintrudit. At hæc ponit totum pro parte, non complexum sive τὸν ὅλον explicat ex parte principali & maximè sublimi, cum minus principalis & secundaria pars seu res in oculos incurrat, nec adeò explicatione opus habeat. Tale est in nostro proposito. Qvandoqvidem ergò nos nullum tropum per resolutionis nostræ rationem concedere tenemur, neqve etiam bonæ interpretationis regulis stantibus concedere possumus, sed totam Christi locutionem in simplici & nativa sua significatione relinqvimus, nec per antecedentia & consequentia, aut loca parallela, aut analogiam fidei dimovemur ab ejusmodi acceptione, cur non multo magis noster sensus retinebitur, qvam alter ille peregrinus & erraticus recipiendus erit?

§. 17. Hactenus, Ariſæe, Disputator tuus explicationis genus examinavit, satis frivolè, nec satis candidè, qvod satis ex meis contra Zwingerum Dissertationibus animadvertere potuisses. Applicationem illius dicit porrò non convenire verbis sacramentalibus, *qvia posteriori sacramentali propositioni, qvæ est apud Matthæum & Marcum, non convenit, qvæ est, hoc est sangvis meus.* Recitat verba: *& accipiens calicem & benedicens, dedit ipsis, dicens: hoc est sangvis meus.* Ait, *Juxta nos tria hic esse, Calicem, Vinum,* s. *gemen vini, & sangvinem Christi. Propositionem juxta nos ita fore explicandam.* Id qvod est in hoc τοῦτο ἐστὶν est sangvis meus. *Vides*

falsum

falsum esse? inqvit. *Aut ita, hoc non tantum est poculum, sed etiam sanguis meus.* Id æqvè falsum esse dicit. *Si hoc duo tantum ostendere dicamus, pridem,* inqvit, *tropum futurum in verbis institutionis, qvem tam esse posse negamus, & hæc duo tamen esse non posse, nisi poculum & vinum.* Sed profectò nihil adfert Disputator, utut tuo judicio tam acutus, qvod applicationem resolutionis nostræ ad posteriorem propositionem sacramentalem impediat. Id in principio facilè intelligis, Arisæe, calicem, si in se & substantia sua consideretur, non esse partem substantialem seu materialem S. Cœnæ, sed instrumentum potius distribuentis, & sic ad causam efficientem pertinere. Sic si Christus panem disco aut forcipe porrexisset, nemo Christi verba ita intellexisset, qvasi ad discum aut forcipem pertinerent, cum sonant, *hoc est corpus meum.* Nec qvia manu digitisq; panem Salvator porrexit, ad manum digitosq; referebat, qvod dicebat, *hoc est corpus meum.* Intelligitur enim hæc esse *instrumenta porrectionis*, non *materiam porrectam.* Qvia verò γένημα τ ἀμπέλ, vinum, est res, qvæ suo termino contineri neqvit, sed alieno opus habet, in ejus porrectione instrumento aliqvo opus fuit. Hoc est ποτήριον. Non autem in sanctissimo hoc negotio in se consideratur, sed ὡς προθέσεως & in usu continendi. Neqve Discipuli, postqvam Christus porrecto pane tam ἄρρητον & ἀκατάληπτον adjecisset pronunciatum, nunc, cum idem calicem in manus sumit, de instrumento porrectionis sunt solliciti, aut ad illud respiciunt, sed vinum γένημα τ ἀμπέλ considerant intentissimè, qvid de eo novum, insolitum, mysticum pronunciaturus esset Christus, expectantes. Neqve Christus ipse ad poculum, ut qvicqvam circa illud innovaret, in sua divina dispositione attendebat. Poculum enim & sacramento paschali adhibitum fuerat, & idem novo mysterio adhibebatur. Vinum ipsum spectabat, de eo novum qviddam & antehac inauditum moliebatur. Unde poculum propter ipsum non sumsit, sed propter vinum in poculo contentum, poculo non benedixit, sed vino poculo contento, poculum principaliter non dedit, sed occasionaliter & instrumentaliter, qvia vinum aliter porrigi non poterat. Ita poculum non erat id, qvod

qvod Christus jussit bibere, sed vinum. Bibebant ex vino, ἐκ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου. Matth. 28, 29. Si ergò integra verba Evangelistarum cum Disputatore tuo introspexisses, vidisses, illud Τοῦτο δέ ἐστιν τὸ αἷμα &c non ad poculum in se, sed ad bibendum seu ad id ex qvo bibendum fuerat, qvod qvatenus oculos feriebat, erat γένημα τῆς ἀμπέλου, pertinere. Frustra igitur est Disputator tuus, cum *tria* circa verba dispositiva reqvirit, *Poculum, Vinum & Sangvinem Christi.* Poculum enim in hac dispositione materiali, rei sc. terrenæ & cœlestis, seorsim non attenditur. Unde neqve in resolutionem deducendum est, qvando materiam speciei alterius sacramentalis proponentem enunciationem perpendimus, sed velut instrumentum ad dispensantem causam principalem referendum, qvæ panem qvidem manu & digitis, nullo insuper adhibito instrumento, porrexit, Vinum autem adhibito instrumento. Unde resultat, τὸ *hoc* poculum, ceu qvid ad materiam Sacramenti Cœnæ alterius partis pertinens, in hoc enunciato admirando & ipsis etiam Seraphim ac Cherubim stupendo, non concernere. Est enim *hoc qvod*, non *hoc qvo* Christus porrexit, observandum. Poculi materia potest mutari. Aureum ne sit, an argenteum, an stanneum, an ligneum, an vitreum, an alterius materiæ, parum, imò nihil interest. Hoc autem qvod porrigitur ut materia sive terrena, sive cœlestis in hoc mysterio, immutabile est. γένημα τῆς ἀμπέλου debet esse, qvoad materiam terrenam, non alius liqvor. Sangvis Christi, qvoad rem cœlestem, non alius humor. Aliter omninò explicanda est enunciatio Christi, si poculi seorsim consideratio est instituenda, aliter, si ratione materiæ consideretur, ad qvam non pertinet poculum. Illo modo neqvaqvam falsum est, ut putat Disputator tuus: *id qvod est in hoc ποτηρίῳ est sangvis Christi.* Licet non sit tantum sangvis Christi, qvia non exhibetur simpliciter & immediatè, sed cum alio & mediatè, exprimitur tamen, ut præstantissimum. Si verò ad bibendum respexeris, qvemadmodum ad id unicè in hoc mysterio & enunciationis insinuantis enucleatione respiciendum est, (nam cum Christus dixit, *bibite ex hoc omnes*, scisitabantur secum omnes attoniti, qvid est hoc bibendum? & responsum tulerunt,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740012614/phys_0044
DFG

runt, *hoc* bibendum *est sangvis Christi.)* rectissimè explicatur, *hoc* sc. bibendum non tantum est Vinum, qvod in poculo esse per se manifestum fuit, sed est etiam *sangvis Christi.* Obscurius exprimitur & poculum non instrumentaliter, sed complexivè accipiendum est, cum dicitur, *hoc* qvod porrigitur, non tantum *est* poculum, sed etiam *sangvis Christi,* licet non sit falsum. Ità ex rei gestæ circumstantiis accipitur; *hoc* poculum, uti nunc in suo officio organico est & genimen vitis continet, non hoc tantum continet, sed & sangvinem Christi. Sic tropus esset in explicatione *causæ efficientis instrumentalis*, sed tritissimus & manifestissimus, non insolitus & repugnans verbis institutionis, neqve etiam circa causam materialem principalem, pro qva expresse obtinenda & eruenda nos cumprimis decet esse vigiles. Sed ne & tropo opus sit, dicamus, *hoc* porrectum in altera parte Cœnæ Dominicæ non est poculum tantum, qvod videmus, non est vinum tantum, qvod visibiliter continetur, sed etiam est sangvis Christi, qvod non videmus.

§. 18. Nihil defuisset acumini tui Disputatoris, si vel maximè oblitus fuisset dicere, qvod *nostra de complexo sententia illam Lutheri propositionem, Panis est Corpus Christi, prorsus evertat: quemadmodum n. non possum dicere: Id qvod est in dolio est Vinum Rhenanum, E. dolium est vinum rhenanum; ita nec in Sacramento procedere, si dicatur, id, qvod est in pane est corpus Christi; E. Panis est corpus Christi: id, qvod est in vino est sangvis Christi, E. Vinum est sangvis Christi.* Qvid n. qvæso profecit, mi Arisæe,? Pondera piè & cordatè. Notum tibi est, qvando in Ecclesia nostra auditur propositio, *Panis est corpus Christi*, non consideretur panis in se, sed in unione sacramentali. In hac autem non est nudus & merus panis, sed etiam corpus Christi. Qvando dico, id, qvod in dolio est, est vinum rhenanum, tum unum unitorum ab altero distingvo, continens à contento mente secerno, & invisibile seorsim explico, seorsim explico visibile. Ita & qvando dico, id qvod ex benedictione & admirabili operatione divina in pane è regno potentiæ exaltato & ad usum regni gratiæ sublimato est, est ἀοράτως & ἀσυγχύτως corpus Christi; id qvod in vino ex benedictione & admirabili operatione divina in vino è regno potentiæ exaltato & ad regni gratiæ usum sublimato

est, est ἀναίμακτος καὶ ἀναλοιώτως καὶ ἀτρέπτως sangvis Christi; Panem & Vinum à corpore & sangvine Christi secerno. Qvando verò dico, *hoc*, ostendendo dolium plenum, est vinum rhenanum, dolium sumo non separatim & ut in se æstimatur, qvod qvale sit satis constat, sed unitè seu conjunctè, qvatenus impletum est physicè. Ita & qvando dicit Christus, *hoc est Corpus meum*, & Lutherus, *Panis est corpus Christi*, & rursus, qvando Christus dicit, *hoc est sangvis meus*, & Lutherus, *Vinum est sangvis Christi*, Panis & Vinum considerantur in unione sacramentali, in usu sanctissimo, ut & in porrectionis & sumtionis, h. e. manducationis & bibitionis actu. In hoc enim panis est ὡσωμάτως corpus, & vinum sangvis Christi, qvatenus sc. hyperphysice panis plenus est corpore, Vinum sangvine Christi πληρώσει sacramentali. Confirmatur ergò potius, qvam evertitur nostrâ de complexo sententiâ propositio Lutheri.

§. 19. Rectè autem & confidenter clamamus, Reformatorum sententias verbis non convenire; imò nec inter se convenire, adclamamus. Non convenit verbis Jesu, per *hoc* intelligere solum panem. Ea enim absconditum mysticumq; qviddam insinuant, qvod in solo pane non consistit. Rectè declaratio Confess. Helvet. in harmon. Confessionum p. 115. *Verbum hoc in hac sententia*, hoc est corpus meum, *non tantum demonstrat oculis corporalibus panem, sed & oculis simul animi ipsum corpus Christi.* Non convenit verbis Christi, per hoc intelligere totam actionem sacramentalem. Nam non de actione sacramentali, sed de eo, circa qvod actionum sacramentalium series occupatur, dicitur, *hoc est corpus meum.* Non convenit verbis Christi, per hoc intelligere creaturam panis, qvæ sit corpus à Deo creatum & Christi dominio proprietatiq; subditum. Repugnant additæ determinationes. Non competit verbis Christi *est* per *significat* interpretari. Non enim de significatione, sed exhibitione sermo est. Non competit verbis Christi, *Corpus* pro *signo* & *figura* corporis accipere. Repugnant rursum determinationes. Repugnat natura Sacramenti N. Testamenti, qvæ in parte cœlesti signa & figuras non admittit. Eodem modo non convenit verbis Christi, per *corpus Christi memo-*

riale

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740012614/phys_0046
DFG

riale corpois Christi intelligere, vel pignus, tesseram & sigillum ejusdem. Rhetoricatur Amandus Polanus, mysta Basileensis, cum *in Symphonia Cathol.* c. 17. p. 365. ait, *Panem eucharisticum esse sacramentum, mysterium, symbolum, typum, antitypum, figuram, signum, imaginem, similitudinem, memoriam, recordationem corporis Christi.* Non convenit verbis Christi per corpus Christi intelligere efficaciam corporis Christi, ob rationes jam dictas. Rectissimè Gvil. Bucanus, in Schola Bernatium Lausannensi Professor, Loc. 48. p. 693. *Panis est propriè panis, & corpus non allegoricum, non tropicum, non figuratum, multò minus spectrum aut phantasma, non item corpus mysticum, qvod est Ecclesia, aut signum corporis, non meritum Christi, sed proprium Christi corpus denotat. Omninò enim verum corpus Domini, de vero pane enunciatur.* Non convenit verbis Christi totam propositionem, panis est corpus Christi, impropriam, tropicam, analogicam, relativam constituere. Si enim in singulis verbis non *est* improprietas aut tropus, qvomodo in tota enunciatione? Asseveramus ergò, nos sanis oculis vidisse eos Theomastyges potius, qvam Theologos, qvos Disputator tuus adeò extollit, verba Christi neqve Grammaticè, neqve Rhetoricè, neqve Logicè benè explicasse.

§. 20. Sed tandem abyssum sapientiæ effundit Genevensis, & pollicetur, *se daturum expositionẽ, qvam lingvæ convenire, non possis negare.* Dicit igitur: *In propositione,* hoc est corpus meum, *qvod pro vobis traditur, hoc, est prædicatum, est, copula, reliqva, subjectum. Hoc sumitur pro hoc pane, & metaphoricè corpus Christi dicitur* hoc, *sive panis: & sunt æqvipollentes hæ propositiones,* hoc est corpus meum, qvod pro vobis traditur, &, corpus meum qvod pro vobis traditur est hic panis. Dispositа propositione eucharistica exempla producit: *Si,* inqvit, *tibi mecum per flores deambulanti elegantissimum, sed marcidum florem ostenderem, dicens: En pulcherrimi coloris & figuræ florem, qvi subitò emarcuit! Nos homines habemus, qvod hic discamus.* Hoc enim homo est: hoc est juventus florida. *Aut defluens vides folium? age, hinc nos consolemur Christiani afflicti à potentioribus seculi.* Hoc enim est impius in potestate positus. *An non hæ propositiones sunt verissimæ & in vulgus notæ certitudinis? qvod verò subjectum est, qvod prædicatum? Sanè dico, homo, juventus florida, esse subjectum, & hoc esse prædicatum;*

dicatum: sensum verò esse, ut hoc *sit prædicatum metaphoricum ita explicandum:* Sicut hoc, sicut hæc res, sicut hoc folium, hic flos, *similis huic flori, folio, homo. Juventus florida est sicut hic flos, qvi subitò emarcuit, cum pulcherrimus esset. Impius in potestate positus est similis huic folio, qvod palluit & defluxit. Qvare verò hoc prius ponitur? An nescis juxta grammaticam demonstrativa & relativa verbis suis & subjectis, qvæ sequi deberent, præponi? Sic ergò Verba S. Cœnæ. Hunc sensum æqvipollentibus propositionibus proposuerunt hactenus non malè his, hoc significat corpus meum, hoc est signum corporis mei, nostri Theologi, Viri doctissimi. Non potest igitur jam negari, nostram explicationem esse in lingva & grammatica rhetoricaq; fundatam.* Obstupui rursus, mi Arisæe, ad tua verba, qvibus scribis, te non potuisse Disputatori tuo refragari. Dubium sanè nullum est, refragaturam huic commento totam Reformatorum familiam. Inprimis Johannem Deodatum & & Alexandrum Morum Genevæ, qvos securè potuisses consulere. Sanè illi Disputatoris tui Theologi, qvos *Viros doctissimos* ille appellat, qvi *est* per *significat* interpretati sunt, jam dudum ab aliis in propria domo sunt confutati. Notum est tibi, qvid Crellius, Goclenius, Keckermannus, Bucanus, alii scripserint. Sed nova Disputatoris tui Philosophia qvo pacto se qvæso tuebitur?

§. 21. Nam I. Talis interpretatio est *incerta.* Etenim sit ita, dentur loqvendi formulæ (qvanqvam è sacris illas ostendere decuisset) in qvibus *hoc* ita possit collocari, qvo patrocinio efficiet, ut evincat, etiam h. l. ita vel posse vel debere collocari? Posita hac collocandi licentia qvid amplius in S. literis, qvid in mysteriis divinis tutum erit, qvid inconcussum? Ostendendum ergò primum fuerat, qvæ necessitas ad ejusmodi collocationem adigat. Aliàs bonæ interpretationis regulam secuti accipimus s. literas juxta ordinariam verborum collocationem. II. Talis interpretatio verborum dispositivorum non est introducenda, qvæ *tollit omne mysterium.* Ejusmodi verò est intetpretatio Disputatoris. Nam qvoties unqve panis & ubicunqve panis frangitur, distribuitur, accipitur, comeditur, verissimè dici poterit sensu Disputatoris, corpus Christi, qvod pro nobis traditum, est hoc, vel sicut hic panis, qvi uti ipse variis rationibus ad nutrimentum corporale præparatur,

præparatur, ita adumbrare potest corporis Dominici per varias subactiones & vicissitudines ad nutritionem spiritualem præparationem, & sicut ipse efficaciter nutrit ad conservandum esse naturale, ita & corpus Christi efficaciter nutrit ad esse spirituale. Sic verò qvid vetabit multiplicare Sacramenta & in infinitum per similitudines rerum procedere, & dicere, Christus, vel Christi hoc & hoc est, sicut hoc & hoc: Ubi autem manet mysterium, qvale omnium Confessione Christus hoc loco instituere voluit? III. Nec talis interpretatio tolerabilis est, qvæ *Vetus & N. Testamentum confundit*, qvæ & V. Testamenti Sacramentum clarius & evidentius efficit, qvam N. Testamenti. Talis autem est interpretatio Disputatoris tui. Nam imagines & similitudines futurorum bonorum Sacramenta V. T. habuerunt. In similitudinibus & repræsentationibus ejusmodi si & Sacramenta N. T. posita esse dicantur, nonne Testamentorum confusio est? Sed & N. Testamenti Sacramentum longè obscurius erit, qvam Veteris Testamenti pascha. Hoc enim evidentissimè clarissimèq; adumbrabat & per tot secula adumbravit corporis Christi traditionem & manducationem. Obscurius autem id faciunt actiones & passiones circa panem Eucharisticum occurrentes. Sic non umbram lux, sed lucem umbra secuta fuisset. IV. Nec talis interpretatio in Ecclesia J. Christi ferenda est, qvæ *corpus & sangvinem* ejus *à S. Cœnæ usu arcet*. Talis est verò Disputatoris tui interpretatio. Si enim corpus Christi, juxta resolutionem ejus, est sicut panis, qvi in S. Cœna adhibetur, frangitur, benedicitur, comeditur &c. jam non pertinet corpus Christi ad sacram Cœnam. Homo non pertinet ad florem pulcherrimum modo & fragrantissimum, mox marcidum. Impius in impietate constitutus non pertinet ad folium flavescens, flaccescens & deciduum. Inter qvæ tantum intercedit comparatio & assimilitio aliqva, eorum unum ad alterum non pertinet. V. Tali interpretatione non tantum qvoad realem & ἀπόφασιν præsentiam, sed qvoad virtualem & spiritualem *corpus Christi ex hoc Sacramento tollitur*. Qvomodo enim seqvitur; Corpus meum qvod in mortem traditur est sicut hoc, id est, hic panis, E. corpus meum virtualiter & spiritualiter præsens est?

Unde conficitur, qvi similitudinem corporis Christi in pane eucharistico intuetur & meditatur, eum virtualiter & spiritualiter sibi præsens habere illud beatificum corpus? VI. Tali interpretatione etiam *manducatio sacramentalis*, qvocunqve demum modo explicetur, è S. Cœna *tollitur*, qvod summopere eam suspectam facit. Qvando enim sic exponitur propositio Christi, *Corpus meum, qvod pro vobis traditur, est hoc*, h. e. *est sicut hic panis, similitudinem habet cum hoc pane benedicto, fracto, exhibito, manducato*, nondum sanè exindè evincitur, qvod & ipsum corpus Christi pro nobis traditum, *Vi hujus propositionis hoc modo resolutæ*, sit sacramentaliter manducandum. Aliunde constare debet, panem esse sacramentaliter manducandum. Tantum qvidem ex ista resolutione perciperetur, sicut panis est esculentum, ita suo modo & corpus Christi pro nobis traditum est cœleste esculentum. At qvod in regno gratiæ, à nobis viatoribus & qvidem sacramentaliter corpus Christi sit manducandum, id stante hac resolutione, vi hujus propositionis Christi, non percipitur, neqve præcipitur. Qvemadmodum non seqvitur, Spiritus S. est sicut aqva potabilis. Ergò cum aqva bibitur & bibendo cogitatur, Spiritum S. esse in plurimis similem aqvæ potabili, sive qvæ bibitur, ipse Spiritus S. est sacramentaliter bibendus. Joh. 4, 6 & seq. Christus ad fontem Jacob considet. Mulier Samaritana venit aqvam vivam ex illo fonte haustura. Audit Spiritum Sanctum esse aqvam salientem in vitam æternam, seu esse similem aqvæ ejusmodi fontanæ & potabili. Qvis audebit exinde concludere: Ergò Spiritus Sanctus in regno gratiæ, nobis, sacramentaliter est potabilis? VII. Tali interpretatione *tollitur* à S. Cœna *unio sacramentalis*, qvæ ab omnibus semper ex verbis institutionis elicita & credita fuit. Patres orthodoxi eam maximopere complexi sunt, qvod percipere potuisti ex illis, qvæ *ad thes. 13. 14. Zwingeri Dissertat. 5. § 3. p. 191.* annotavimus, ubi ostendimus, qvomodo unionem sacramentalem comparent cum unione personali duarum naturarum in Christo contra Nestorii distantiam & Eutychis mixturam: qvomodo res terrenas dicant Sancto Spiritu proficiente & permanente naturæ suæ proprietate transire in divinam substantiam; qvomodo præsentiam & unionem

unionem corporis & sangvinis Christi cum rebus terrenis perversissimæ opinioni Marcionis de imaginario Christi corpore opposuerint &c. Atqvi si corpus Christi in mortem traditum est sicut hoc, qvod in S. Cœna benedicitur, frangitur, datur, sumitur, editur, & nihil altius accedit vi horum verborum, *hoc est corpus meum*, qvam hoc, qvod ista resolutio exprimit; qvo argumento aliqva unio sacramentalis, & qvidem illius efficacia, cujus eam ex Salvatoris verbis Veteres pii esse censuerunt, exinde elicietur? Qvæ enim similitudinem & analogiam tantum aliqvam ad se invicem habent, inter ea unio non est, nec illa unita dici possunt. IIX. Tali interpretatione *dualitas rerum* ad Sacramenti N. T. constitutionem pertinentium *tollitur*, qvo ipso manifestum est, eam probam & genuinam esse non posse. Notissima sunt Augustini de hoc Sacramento verba in sentent. Prosperi: *Hoc est, qvod dicimus, qvod omnibus modis approbare contendimus, Sacramentum hoc duobus constare, visibili elementorum specie & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sangvine.* Hoc ut obineat tuus Disputator stante sua explicatione, ita necesse habebit argumentari. In qva re percepta, vel circa cujus rei perceptionem occurrit sublimior aliqva res cogitanda & meditanda, cujus imaginem & similitudinem aliqvam in ista intueri licet & animo concipere, illæ res constituunt unum aliqvod inter se invicem. Atqvi in pane percepto vel circa panis perceptionem occurrit corpus Dominicum sublimissimum cogitandum & meditandum, cujus imaginem & similitudinem aliqvam in pane intueri & animo concipere licet. Ergò panis perceptus & corpus Christi constituunt unum aliqvod inter se & sunt duæ res substantiales hujus Sacramenti. Si autem ita argumentabitur, tunc cogitabit seriò de probatione majoris propositionis. Non illicò qvippe sunt duæ res ad unum aliqvod constituendum pertinentes, in qvarum unâ de alterius certis qvibusdam considerationibus similitudines aliqvæ reperiri & constitui possunt. Exhibenda est arctior qvædam connexio, ut duæ res in se ad constitutionem integri Sacramenti possint dici pertinere. Ex. gr. Ostensa piorum conjugum cohabitatione & communicatione secundum legem & beneplacitum Christi, licebit secundum Disputatoris

putatoris tui interpretationem dicere, conjunctio Sponsi cœlestis Jesu Christi cum Sponsa sua Ecclesia est *hoc*, h. e. sicut hoc vinculum piorum conjugum, sicut conjugium perfectissimum & sanctissimum. Hinc & conjugium mysterium magnum dicitur *Eph. 5, 32.* Qvid verò? anne licebit exinde concludere, conjugium hyperphysicum & physicum esse duas res, unam terrenam, alteram cœlestem, ad unum aliqvod sacramentale constituendum pertinentes? Neqvaqvam certè. Vides igitur qvomodo tuus tibi imponat Disputator. Imò qvomodo tu temetipsum fefelleris, cum neglecta perpetua textus divini & analogiæ fidei observatione passus es Te in speculationes nulli fundamento superstructas seduci.

§. 22. IX. Tali interpretatione subvertitur interpretatio Paulina 1. Cor. 10, 16. qvam nosti, mi Arisæe, à me expensam esse *in Pentad. Disput. Acad. d. 10.* Ita argumentamur: *Qvorum uno communicato ex ordinatione Dei Euch. simul etiam communicatur alterum, ea non tantum ita se ad se invicem habent, ut in uno alterius similitudinem aliqvam contemplari liceat, sed omninò intimam qvandam, realem & substantialem habent præsentiam. At communicato pane ex ordinatione Dei Euch. simul etiam communicatur corpus Christi, communicato vino ex ordinatione Dei simul etiam communicatur sangvis Christi. Ergo inter Panem & Corpus Christi, itemq; Vinum & Sangvinem Christi non is tantum est respectus, ut corpus & sangvis Christi similitudinem aliqvam Panis & Vini habeat, sed oportet inter illa esse cœlitus factam intimam qvandam, realem & substantialem præsentiam.* Major est evidens. Si enim tantum esset ille respectus similitudinis, qvem tuus confinxit Disputator, inter panem vinumq; & inter corpus sangvinemq; Christi, non constaret de certa & ex ordinatione Dei infallibili communicatione unius ad communicationem alterius. Minor ex textu Apostolico liqvet. Disertè enim dicitur, panem esse communicationem corporis, & vinum sangvinis Christi. Hoc sanè nulla ratione alia, nisi qvia communicato pane ex ordinatione cœlesti indistractè communicatur corpus Christi, & communicato vino ex eadem divina sanctione communicatur sangvis Christi. Vide hæc & alia ibi prolixè. Tuus Disputator festinus est & præceps in hoc dicto à sua opinione amoliendo. Dicit, *Paulum non loqvi*

ocus Cor. 10. 16. vindicatur.

loqui de substantia S. Cœnæ, sed ejus effectu, quodve nobis hæc adsemt & admoneat nos, quasi diceret, scitis, S. Cœnæ effectum esse, ut non tantum quando utens ea in Christum meditationibus fertur, corporis Christi fracti & sangvinis effusi recordetur, sed etiam quando in συγκοινωνεῖν fertur, recordetur, quomodo S. Cœna eodem sacramento utentes sangvinis & corporis Christi ejusdem participes faciat, vel beneficiorum per corpus & sangvinem Christi partorum communes reddat, nec non unius corporis & sangvinis Christi mystici membra faciat. Respondere potuisses, si regularum bonæ interpretationis memor fuisses, non esse facile concedendum, ut corpus & sangvis Christi pro effectibus corporis & sangvinis Christi sumatur. Sic victurum Socinum & Vorstium, qvi qvando Scriptura loqvitur de universali & substantiali divina præsentia, ubiqve pro substantia Dei virtutem & effectum ejus substituunt, *Psal. 139. Jer. 23. Act. 17.* Præsertim autem inhærendum esse nativæ significationi corporis & sangvinis Christi, qvia distincta communicatione, *Panis* sc. communicatur corpus Christi, & rursus distincta communicatione, *Vini* sc. communicatur sangvis Christi. At effectus & beneficia Christi non ita sunt comparata, ut aliqva divisim Pani, aliqva Vino distribuenda competere qveant, aut ut alia sint corporis, alia sangvinis Christi. Et sit ita, totus Christus ad *Gal 3, 27.* pro beneficiis suis immediatè accipiatur, (qvod tamen falsissimum esse ex Pentadecadis Disp. 4. discere potuisses: sicut & cognoscere potuisses, falsissimum esse, qvod D. Hunnio tribuit, eum per induitionem Christi tantùm beneficiorum Christi fruitionem intelligere: Ita n.ait tom.5. operum p. 422. *In baptismo Christus induitur* CUM *sua innocentia justitiaq; nobis acquisita* &c.) qva nos constringet necessitate Disputator tuus, ut eodem modo etiam 1.Cor. 10. per corpus & sangvinem Christi ipsius beneficia intelligamus. *Molestandus* n. omninò est, ut assevérationis suæ idoneam rationem adferat, si fidem apud homines mereri satagit. Certè potio benedictionis ipsa, cui in usu S. Cœnæ benedicimus, dicitur κοινωνία sangvinis Christi, ipse panis qvem frangimus, est κοινωνία corporis Christi. Neqve enim est, qvod Rudolphi Gvaltheri observationem attendamus, qvi ait, κοινωνίαν per *communionem*, non autem *communicationem* verten-



dam.

dam esse. Nam communio cum communicatione sæpissimè conjuncta est. Ita *1. Cor. 1, 9.* cum gratulatur S. Paulus Corinthiis, qvod in communionem filii Dei vocati venerint, certè & communio & communicatio filii Dei conjunguntur, & ad *Galat. 2. v. 9.* δεξιὰς κοινωνίας sunt & communionis & communicationis. Et *2. Cor. 13, 13.* κοινωνία Spiritus Sancti est & communio & communicatio. Et *2. Cor. 6, 14.* cum negatur κοινωνία inter lucem & tenebras, pariter utraqve negatur. Et ad *Eph. 3, 9.* cum Paulus ait, se constitutum à Deo esse, ut illuminando homines doceat, qvantum bonum sit κοινωνία mysterii absconditi in Deo à seculis, certè intelligit communicationem tanti tamq; salutaris mysterii & cum eo communionem. Sic Phil. 2, 1. κοινωνία πνεύματος nullo modo excludit communicationem. Dicit Apostolus; Si aliqva inter vos Philippenses adhuc viget Spiritus S. communicatio, si non omnis donorum Spiritus Sancti communicatio inter vos desiit, amate concordiam & humilitatem. In nostro autem loco communicationem inprimis attendi, ex circumstantiis omnibus textus manifestum est. Dicitur enim, poculum eulogiæ esse communionem sangvinis Christi, & panem, qvi frangitur, esse communionem corporis Christi. Jam inter ipsum poculum & sangvinem Christi, atqve inter panem & corpus Christi non est aliqva communio, nisi ad transeuntem communionem seu communicationem, qvâ mediante poculo sangvis Christi, mediante pane corpus Christi nobis communicatur. Non dicit S. Paulus: *Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne assimilatur sangvini Christi & sic nobis adumbrat communionem sangvinis Christi: Panis, qvando & qvatenus eum frangimus, nonne ideam nobis exhibet passionis corporis Christi, & sic nobis adumbrat communionem corporis Christi. Sed ipsum vinum in actuali applicatione & usurpatione* dicit esse κοινωνίαν τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ: *Ipsum panem in eodem actu* dicit esse κοινωνίαν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. Ita textui insistendum est, non speculationibus, qvibus præconcepta opinio pro basi est, textus pro luto. Hoc non attento vide qvæso, qvomodo Gvaltherus textum circumloqvatur! *Poculum benedictionis, cui benedicimus, id est, poculum istud, qvod ab ipso*

Christo

Christo nobis destinatum est, & quo nos ex ejus institutione utimur, ut illo cum solenni gratiarum actione ipsius beneficium celebremus, qui sanguinem suum pro nobis fundere & ex peccati mortisq; servitio redemtos sibi coheredes facere dignatus est, nonne est communio sanguinis ejus? Similiter Panis, quem in eadem cœna frangimus, nonne est communio corporis ejus? Id est, nonne ex hoc ipso, quod ex uno poculo omnes bibimus & ex uno pane omnes edimus, testamur publicè, nos ad unam & eandem societatem & cœtum pertinere, & quidem ad eorum cœtum, qui Christi Jesu corpore & sanguine redemti sunt, ut & cum illo & ipsi inter se communionem habeant? Sic ista quidem dicuntur. Ex textu autem verborum S. Pauli neqvaqvam fluunt. Errat sanè Gvaltherus, si communionem, qva poculum dicitur communio sangvinis Christi, & qva panis dicitur communio corporis Christi putat positam *in celebratione beneficiorum Christi & gratiarum actione pro corporis traditione & sangvinis fusione.* Sic enim neqve vinum neqve panis erunt in usurpatione sui medium communionis sangvinis & corporis Christi. Actus enim alius est traditio vini & panis, qva à ministro fit & perceptio horum. Alius actus est juxta hanc traditionem perceptionemq; piè exercita celebratio beneficiorum Christi & gratiarum actio pro passionis doloribus & fructu. Et distincta sunt præcepta de his actibus 1. Cor. 11, 25. 26. 27. Illud verò planè intolerabile est, qvod dicit, cum Paulus poculum haustum in Sacramento admirabili vocat communionem sangvinis Christi, & panem manducatum juxta legem & promissionem Christi vocat communionem corporis Christi, perinde esse, ac si dixisset, *nonne ex hoc ipso, qvod ex uno poculo omnes bibimus, & ex uno pane omnes edimus, publicè testamur, nos ad societatem cœtumq; à Christo redemtorum pertinere, & cum Christo communionem habere.* Qvalis qvæso & qvam elumbis interpretatio? Panis comestio est communio corporis, Vini bibitio est communio sangvinis Christi, h. e. *Panis comestio & Vini bibitio est publica protestatio, nos ad societatem fidelium pertinere.* Qvantum differt hæc protestatio ab illa communione. Sed talia monstra interpretamentorum gignuntur, ubi à verbis divinis receditur. Adde Henr. Bullingerum, qvi Comm. h. l. *Cum*, inqvit, *Paulus dicit, poculum benedictionis, qvo benedicimus*

nedicimus, id est, gratias agimus, nonne κοινωνία communio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? quid aliud est, quam si dixisset, qui de pane & poculo Domini participant, communio corporis & sanguinis Christi, h. e. cœtus Ecclesiæ sanguine Christi ablutorum adeoq; corpus sive membra Christi sunt. Quid non fiat ex verbis divinis, si hæc licentia grassabitur? Panis est communio corporis Christi, h. e. pane vescentes fiunt, imò sunt communio fidelium à Christo redemtorum. Quanto pressius & sanctius Chrysostomus hom. 24. in 1. Corinth. p. 532. edit. Commel. post recitata verba Apostoli infit: σφόδρα πιστῶς καὶ φοβερῶς εἴρηκεν. Valdè fideliter dixit & terribiliter. Hoc est autem quod dicit: Id quod est in calice, est id quod fluxit è latere, & illius sumus participes. Calicem autem benedictionis vocavit, quod eum habentes in manibus sic eum laudibus & hymnis prosequimur admirantes, ἐκπλησσόμενοι τὴν ἀφάτου δωρεᾶς ineffabile donum stupentes, benedicentes bonisq; verbis prosequentes, quod eum ipsum effudit, ne maneremus in errore. Et non solum effudit, sed etiam eum ipsum nobis impertivit. Quamobrem si sanguinem, inquit, cupis, non anim idolorum brutorum cæde, sed meum altare meo cruenta sanguine. τί γὰρ τούτου φιλανθρωπότερον; quid hoc est horribilius? quid autem amabilius, dic quæso? Hoc faciunt etiam qui amant. Cum viderint eos, qui amant, aliena concupiscere, & propria despenare, sua dantes persvadent, ut abstineant ab iis, quæ sunt illorum. Sed qui amant, quidem in possessionibus, pecuniis & vestibus suam ostendunt liberalitatem & magnificentiam, in sanguine autem nullus unquam. Christus autem in eo etiam suam nostri ostendit curam, & ardentem in nos charitatem. Et in veteri quidem quoniam affecti erant imperfectius, quem (gentes) idolis offerebant sanguinem, eum & ipse sustinuit suscipere, ut ab illis abduceret, quod ipsum quoque erat amoris ineffabilis. Hic autem in eo, quod est longè φιλανθρωπότερον καὶ μεγαλοπρεπέστερον horribilius & magnificentius sacram constituit operationem, ut qui & ipsum mutavit sacrificium, & pro cæde brutorum se ipsum jussit offerre. &c.

§. 23. Negligunt, aut confundunt, aut vili pendunt, qvi tuo Disputatori præiverunt, qvorum ille calcavit vestigia, S. Apostoli argu-

argumenta, qvibus impugnat Corinthiorum, immolatis apud idola vescentium, audaciam. *Primum* est v. 16. ex Sacramento Eucharistico depromtum, qvo ita argumentatur Paulus: Qvi mediante calice participes facti sunt ipsius sangvinis Jesu Christi, qvo orbis redemtus est, & mediante pane communicatum sibi acceperunt corpus ejusdem omni plenitudine Deitatis habitatum, illi se neqvaqvam debent esculentis & libaminibus idolorum contaminare. Atqvi Corinthiis fidem Christi professis contigit illa admiranda participatio. E. Majorem probare facilè licet ex summa & incomparabili oppositione, qvæ est inter esculenta & & poculenta mystica, in qvibus est corpus & sangvis Christi, & inter escas & libamina idololatrica. Minorem asserit v. 16. Persequitur Chrysostomus hoc argumentum loc. cit. p. 536. oratoriè qvidem, sed verè: *Si vestem hominis ne ausus qvidem fuerit qvisqvam solum tangere, qvomodo Dei corpus, qvi est super omnia, qvod est mundum & nulli affine reprehensioni, qvod cum illa divina natura est conversatum, per qvod sumus & vivimus, propter qvod fractæ sunt portæ inferorum, & aperti fornices cœli, hoc accipiemus cum tanto probro & contumelia? Ne, rogo, ne nos ipsos occidamus per impudentiam, sed cum timore & summa puritate ad terribile illud & formidandum sacrificium accedamus: & qvando ipsum videtis propositum, dic; Propter hoc corpus non sum ego amplius terra & cinis: non sum amplius captivus sed liber: propter hoc spero me accepturum cœlum & omnia bona, qvæ in eis sunt, vitam immortalem, angelorum conditionem, cum Christo consvetudinem. Hoc corpus clavis confixum & flagris cæsum non tulit mors: hoc corpus in crucem actum Sol cum vidisset, suos avertit radios: propter hoc & velum tunc scindebatur, & petra rumpebatur, & terra qvatiebatur. Hoc est illud corpus, qvod fuit cruentatum, qvod lancea percussum, & salutares emisit fontes universo orbi terræ, unum qvidem sangvinis, alterum verò aqvæ.*

§. 24. *Secundum argumentum* est ex v. 17. qvod de communione fidelium mystica inter se loqvitur & ita stringit; Qvi in Ecclesia Dei non aliter considerandi sunt, qvam portio corporis Jesu Christi mystici, qviqve ita sunt æstimandi in intima sanctorum communione, sicut unius grani farina ad totam massam panis, atqve adeò unum panem qvasi constituunt cum omnibus fidelibus, illi com-

mittere non debent, ut se contaminent escis idololatricis & velint se nutriri horrendis illis atqve abominabilibus libationibus. Ratio est, qvia ex ara diabolica desumtum nutrimentum non decet membrum corporis mystici Jesu Christi. Neqve fas est ad panem sanctum, qvi est cœtus sanctorum, ab uno alterove illius cœtus membro attrahi cibum purissimo illi pani oculis Dei jam in suo sanctuario proposito incongruum. At singuli fideles in Ecclesia Dei aliter considerandi non sunt &c. Ergò &c. Minorem probat Apostolus, qvia omnes fideles ex uno pane participant &c. Est autem unus ille panis, sacramentalis panis, qvi unus esse dicitur institutione, materiâ, formâ, efficacia & divino usu, ut legere potes AntiCogentii *Dissert. 2. ad thes 5. §. 22. p. 96.* Ille unit fideles nutrimenti cœlestis identitate & facit ut sint unus panis, unum corpus, cujus singuli sunt membra.

§. 25. *Tertium argumentum* est v. 18. Qva participatione se fideles ipsa communione altaris idololatrici coinqvinant, ea ipsa ceu idololatrica fugienda est. Est enim communio cum altari idololatrico & ipsa idololatrica. At participatione de iis, qvæ idolis immolata sunt, fideles se ipsa communione altaris idololatrici coinqvinant. Probatur hæc propositio: qvia qvemadmodum Israelitæ, qvando sacrificia Deo immolata manducabant, utiqve in communionem altaris summi Dei devenerunt. Ita & qvicunqve sacrificia idolis immolata manducant, omninò in communionem altaris idololatrici deveniunt. Evidens!

§. 26 *Qvartum argumentum* est v. 19. 20. Qva participatione fideles deniqve in communionem cum dæmoniis labuntur, ab ea omnibus modis est abstinendum. At participatione eorum, qvæ idolis sunt immolata, fideles deniqve in communionem cum dæmoniis labuntur. Ergò &c. Minor probatur: qvia, qvamvis idolum in se & per se nihil sit, tamen, cum omnia immolata ad verum Deum non referantur, sed consecrentur dæmoniis, fieri aliter non potest, qvam ut, qvi immolata idolis manducat, in abominabilem & execrandam cum dæmoniis communionē prolabatur.

§. 27. *Qvintum argumentum* est v. 21. Qva participatione, qvi volunt esse fideles, conjungunt, qvæ nullo jure conjungi possunt

ſunt aut debent, illam evitare debent. Atqvi participatione rerum idolis immolatarum, qvi tamen fideles eſſe volunt, conjungunt, qvæ nullo jure conjungi poſſunt aut debent. Qvam enim omni juri & honeſtati repugnat, nunc labra poculo dominico, mox dæmoniaco admovere? nunc menſæ Domini, mox menſæ dæmoniorum aſſidere? Certè ejusmodi viciſſitudo ſolo lumine naturæ utentib⁹ eſt abominabilis. Qvanqvam n. de facto hoc evenerit apud Corinthios, de jure tamen fieri non potuit. Qvæ autem contra jus divinum & ipſam congruentiam ſunt, ea Chriſtianos ne poſſe qvidem intelligendum eſt. Conf. 1. Cor. 3, 11. Actor. 4, 20. Matth. 6, 24. Joh. 15, 5. Sed videre potes de his *AntiCogent. Diſſert. 7. ad th. 16. 17. § 11. & Diſſert. 5. § 37. & ſeqq. p. 200.* Nos in argumentorum Paulinorum recenſione nunc ulterius procedere opus non eſt. Ex hactenus reſolutis verò manifeſta eſt confuſio Diſputatoris tui. Ἄτοπα ſunt, qvæ profert, non μυστικὰ aut τροπολογικὰ.

§. 28. Retorſio ejusdem eſt notæ: Propoſitio Paulina, *Poculum benedictionis, cui benedicimus, annon eſt communio ſangvinis Chriſti?* non eſt juxta nos ita explicanda: *Id qvod in poculo eſt, ubi benedictio facta eſt, eſt communio ſangvinis Chriſti. Atqvi id qvod in poculo eſt, eſt vinum & ſangvis. E. vinum & ſangvis eſt communio & ὄχημα ſangvinis Chriſti.* In majore enim propoſitione ſermo eſt de terrena re, qvæ in poculo eſt. In minore de complexo & porrecto ſacramentali toto. Laborat ergò argumentatio qvatuor terminis. Simpliciſſimè dicitur: Poculum vinum participanti communicans communicat etiam ſangvinem Chriſti propter arctam & tremendam unionem. Sicut, panem communicans miniſtri manus communicat etiam corpus Chriſti. Nimirum S Paulus elicit ſuam propoſitionem ex verbis Chriſti. Si n. *hoc*, qvod ad edendum diſtribuitur in ſanctiſſima Cœna, eſt corpus Chriſti, neceſſe eſt, ut panis, qvi viſibiliter diſtribuitur, ſit communicatio corporis Chriſti inviſibilis, & ſi *hoc*, qvod bibendum porrigitur, eſt ſangvis Chriſti, neceſſe eſt, ut vinum qvod poculo viſibiliter exhibetur, ſit communio ſangvinis Chriſti. Non opus eſt ampliatione, ut dicamus, *id qvod erat ante benedictionem in poculo poſt benedictionem*

nedictionem est sangvis Christi. Qvanqvam sit verissima illa sententia, si nec de transsubstantiatione, nec de esse permanenti extra usum Sacramenti explicatur. Si velit tuus Disputator poculum ut instrumentum porrectionis considerare, & ad id communionem referre, rectissimè dicet, poculum, qvod vinum propter suam fluiditatem nunc exhibet & porrigit in S. Cœna, est actu illo suo (nam hic spectandus & huc spectat S. Paulus) communicatio sangvinis Christi. Nulla est hic synecdoche. Exprimitur & urgetur à S. Paulo sangvis Christi, cujus præsentia revelatione constat & maximè ad retundendum conatum Corinthiorum non abstinentium à mensis idololatricis facit. Si verò poculum accipiatur ratione rei affusæ & contentæ, tunc & illa, cum communicatur, (sic enim spectanda est & à S. Paulo spectatur,) non ipsa sola communicatur sed communicat & ipsa sangvinem Christi. Nullus hic tropus.

§. 29. De *eulogia* qvod garrit Lemanus tuus, non capio. *Eulogia*, inqvit, *vos refutat, qvæ qvod ea sit, qva vos utimini, hactenus probatum non dedistis.* Potuisses ipsi evolvere ad εὐλογίας hujus explicationem, qvæ Isac. Casaubonus *exerc. 16. ad Annal. Baron. sect. 33.* comportavit: qvod Christus ποτήριον εὐλογίας à Sacramento V. T. ad Novum traduxerit. Morem enim fuisse Judæis, convivium, in qvo edebatur agnus Paschalis, poculo claudere, qvod dicebatur כוס הלל ποτήριον ὑμνήσεως. εὐλογεῖν hac notione idem esse ac ἁγιάζειν, qvod verbum notat sanctificationem vel ad usus humanos, 1. Tim. 4, 4. vel ad usus divinos, freqventissimè. Sic apud Patres dici aqvam baptismi εὐλογεῖσθαι, ἁγιάζεσθαι, benedici, sanctificari, consecrari in usum sacri lavacri. Sic & panem eucharistiæ εὐλογεῖσθαι, pro qvo Patres freqventer ἁγιάζεσθαι. Justinum Mart. *in Dial. cum Tryphone*, reddere, ἄρτον πιεῖν. Latinam Ecclesiam inde etiam usurpare verbum *facere*. August. *de Trin. lib. 3. cap. 10. Panis ad hoc factus*, id est, consecratus. Et *conficere corpus Christi.* Ita Hieronym. *ad Heliodorum de sacerdotibus: qvi Apostolico gradui succedentes Christi corpus ore sacro conficiunt.* Ambros. *de iis, qvi myst. initiantur cap. 9.* hoc, *qvod conficimus, corpus ex Virgine est.* Vim benedictionis in hoc Sacramento eam esse, ut res natura sua communes

munes & ſenſibus corporeis perceptibiles τῇ προσθέσει τῆς χάριτος, ut Theodoretus loqvitur, myſterium ſuo modo contineant. Qvod Heſychius vocarit Lev. 22, 14. à ſenſibilibus ad intelligibilia translationem. Eckbertum *contra Catharos* præclarè *ſerm. II.* ſcribere; *Qvod dicitur Sacerdos corpus Domini conficere, non ita intelligimus, qvod ipſi corpus Domini q. de novo creent & ei eſſentiam dent: ſed eorum facere nihil aliud eſt, niſi qvod ſuper illud viſibile ſacrificium, qvod in altari eſt, faciunt officium ſuum & dicunt orationes & benedictiones, & ſtatuta ſigna faciunt, & tunc virtute divina præſtatur, ut ſit IBI verum corpus Domini & verus ſangvis ejus, UBI prius nihil aliud erat, niſi panis & vinum.* Pertinere huc etiam ἀνάδειξιν S. Baſilii, & pronunciationem τῶν τῆς ἐπικλήσεως ῥημάτων verborum invocationis. Eſſe igitur εὐλογεῖν, εὐχαριστεῖν, ἁγιάζειν, ποιεῖν, κατασκευάζειν, ἱερουργεῖν τὸ ἅγιον σῶμα, vel ἱερατεύειν, ἀναδεικνύειν & ſimilia pro eodem uſurpata, ad exprimendam actionem Sacerdotis, per qvam hoc Sacramentum paratur & res ſenſibiles fiunt intelligibiles, qvæ eſt maxima mutatio. Deniqve eulogiam aliqvando ſimpliciter pro Euchariſtia accipi, ut apud Cyrillum in ep. ad Caloſyriũ, ubi vocatur ἁγιασμὸς τῆς μυστικῆς εὐλογίας. Aliqvando εὐλογίας vocari ſingulas hoſtias vel particulas, qvæ communicantibus porrigebantur: ut apud Cyr. *in Ep. ad Neſtorium Concil. Eph. p. 80.* προσιέμεθά τε οὕτω τῶν μυστικῶν εὐλογιῶν, καὶ ἁγιαζόμεθα. Ita Maximus in Dionyſ. hierarch. Eccl. cap. 3. Nihil in hac εὐλογίας explicatione nobis adverſatur.

§ 30. Qvomodo verò contra nos eſſe putaverit Tuus Collator, qvod S. Paulus poculum benedictionis tantum *communionem ſangvinis Chriſti* vocat, vix divinare licet. *Eſt & hoc*, inqvit, *contra vos, qvod poculum eſt tantum ſangvis Chriſti, à qvo vos corpus Chriſti non poteſtis ſeparare. Ideoq; rurſus συνεκδοχὴν introducitis, qva ſangvis ſumatur pro corpore & ſangvine.* Eſt ne in ea ille ſententia, ſub unaqvaqve ſpecie contineri totum Chriſtum? Ita qvidem vult videri. Dicit enim, ſangvinem Chriſti poni pro corpore & ſangvine Chriſti. Sed qvo fundamento iſta? Verba *inſtitutionis*, adeoq; & *promiſſionis*, non promittunt mihi *ad acceptionem panis* niſi

 præſenti-

præsentiam gratiosam peculiarem & sacramentalem sanctiss. corporis Christi pro nobis traditi; nec promittunt mihi *ad acceptionem vini* nisi præsentiam gratiosam & communicationem peculiarem ac sacramentalem sangvinis Christi. Ex aliis promissionibus gratiosè præsentem habes totum Christum, *Matth. 18. & 28.* Sed hæc planè singularis est, & ordinationem habet peculiarem ad effectum etiam peculiarem. Testamenti verba sunt *strictæ interpretationis.* At Disputator tuus περιοκλείψιαν suffulcit & concomitantiæ patrocinatur. Videre potes id latius Zvingero propositum *Dissert. 2. ad th. 2. § 6. p. 57. & seqq.*

§. 31. Deniqve ex loco *1. Cor. 10.* ultimum conatum adhibet Disputator tuus, cum argumentatur: *Qvaliter se habent dæmonia ad idolothyta, taliter se etiam habent corpus & sangvis Christi ad panem & vinum.* Atqvi *Dæmonia ita se habent ad idolothyta, ut non necessarium sit ea esse idolothytis præsentia. Ergo etiam ita corpus & sangvis Christi se habent ad panem & vinum, ut non necessarium sit corpus & sangvinem Christi esse pani & vino præsentia.* Minoris probatio ista adfertur; *Qvia necesse non est, Diabolum ubiqve sacrificantibus præsentem esse, & cum bolo ingredi, & ingredi omnes, qvi de idolothytis comedunt.* Verum enim verò, mi Arisæe, & hic conatus est irritus, uti facilè animadvertere potuisses, si mediocriter Te recollegisses. Notavit hoc jam olim Theod. Beza *in annot. major. h. l.* Ita enim ille: *Vulgata* 1. Cor. 10, 16. *priore loco* communio, *posteriore reddit* participatio, *repugnante Chrysostomo, qvi communionem plus esse dicit, qvam participationem, qvod ad hanc satis sit partem habere, ad illam autem requiratur, ut prorsus uniamur & totum id percipiamus, qvod nostræ fidei præbuit. Et certè τὸ μετέχειν in hac tota Oratione non usurpatur à Paulo, cum agitur de Christo ipso, sed de pane & de mensa, sive cibis in mensa appositis, qvorum partem duntaxat singuli capiunt. Ac proinde κοινωνία & μέθεξις differunt, ut effectum à causa. Nam per panis μέθεξιν hæc societas coit. Est igitur μέθεξις symbolorum, κοινωνία verò rerum per illa significatarum, videlicet per partes utpote corporeorum, hæc verò totius Christi in singulis. In Christo qvidem. Nec enim in opposita Dæmoniorum societate idem ad vivum est resecandum.* Major propositio ergò rectissimè Disputatori neganda fuisset. Ratio cumpri-

cumprimis est evidens, qvia τράπεζα & ποτήριον κυρίε in se exhibent, *tanqvam partem cœlestem*, cibum, *corpus Christi*, potum, *sangvinem Christi*. Mensa autem dæmoniorum dicitur *efficienter* & *finaliter*, qvia à dæmoniis est adinventa adornataq;, & ad dæmoniorum cultum refertur. Unde non opponitur corpus & sangvis Domini dæmoniis, sed ipse Κύριος, Dominus.

§. 32. X. Tali interpretatione labefactatur locus *1. Cor. 11, 27.* qvem meministi à me tractatum esse Dissert. 7. AntiCogent. §. 8. num. 4 & tamen, tanqvam nihil de eo labore vidisses, permisisti garrulo Allobrogi victoriam. Ita enim ratiocinamur ex verbis Apostoli: *Ubi corpus & sangvis Christi ita est, ut panem indignè manducando, & vinum indignè bibendo, homo manducans reus fiat corporis & sangvinis Christi, ibi non tantum est per adumbrationem aliqvam & similitudinem.* Nam in agni paschalis, ut symboli & signaculi corporis Christi, manducatione sæpe etiam hoc contingebat, ut non satis attenta fuerit illa ἐκτύπωσις agni laturi peccata mundi. Manna & aqva ex Petra etiam fuerunt olim typi exhibendi Christi, & tamen ita non judicavit Spiritus Sanctus, Israelitas propterea esse reos factos ipsius corporis & sangvinis Christi indignè accepti, qvia illa symbolica & typica non rectè æstimarunt. Ut ergò in corpus & sangvinem Christi qvis *manducando & bibendo* panem & vinum in eucharistia impingat, ibi necesse est corpus & sangvinem Christi revera adesse. Aliâs non *manducando*, sed *non meditando* illas analogias sacramentales reatus contraheretur. Atqvi asserente S. Paulo *in S. Cœna corpus & sangvis Christi ita est, ut panem indignè* manducando, *& vinum indignè* bibendo, *manducans & bibens reus fiat corporis & sangvinis. Ergò in S. Cœna corpus & sangvis Christi non tantum est per adumbrationem aliqvam & similitudinem.* Sanè si hoc modo tantum adesset, non peccaretur non discernendo in manducatione & bibitione corpus & sangvinem Dominicum, sed non discernendo panem & vinum à reliqvis esculentis & poculentis, qvæ ejusmodi adumbrationis officium non gerunt. Ineptissima est instantia Disputatoris ex Hebr. 6, 6. Nam crucifixio hæc est notoriè impropria. Non enim nisi semel Christus propriè crucifigi & mori potuit. Qvi autem verè & propriè crucifixerunt

Christum, ii omninò rei sunt facti corporis & sangvinis Christi præsentis indignè tractati. Non enim discreverunt corpus & sangvinem illum, nec attenderunt, esse Messiæ corpus, qvod tot vulneribus confecerunt, esse Messiæ sangvinem, qvem tam prodigè effuderunt. Putarunt profanum esse hominem, qvem crucifixerunt. 1. Cor. 2, 8. Nec obstat, qvod S. Paulus non dixerit, qvi comedit corpus Christi indignè & bibit indignè sangvinem Christi, is reus sit corporis & sangvinis Christi. Nam voluit commendare sacramenti preciositatem adeoq; elementaria non prætermittere. Et satis emphaticè dixit *panem hunc* v. 27. qvi nunc ex ordinatione mysteriarchæ nostri non est tantum panis. Non igitur satis est, si dicatur, Apostolum hoc velle, eum, qvi non facit id, qvod in S. Cœna fieri debet, id est, *non recordatur corporis & sangvinis Christi pro se traditorum*, eum fieri eorum reum. Sed addendum est, *& præsenter cum pane & vino dispensatorum.* Non sola enim non recordatio traditorum corporis & sangvinis Christi, reatum illum contrahit, sed & non recordatio præsentium & communicatorum cum pane & vino corporis & sangvinis Christi. Rectè ex Veteribus Oecumenius Comm. h. l. *Qvod ait*, Reus erit corporis & sangvinis Domini, *hoc indicat, qvod qvemadmodum Judas qvidem tradidit, grassati verò ac debacchati in eum fuerunt Judæi, ita contumeliis ipsum afficiunt, qvi sanctissimum illius corpus impuris manibus, uti tunc tenuere Judæi, suscipiunt & execrando nefandoq; offerunt ori.* Et hæc qvidem hîc satis de loco 1. Cor. 11, 27.

§. 33. Tandem nostræ sententiæ absurditatem ostendere satagit Disputator tuus, sed revera absurdissimos suos conceptus prodit. Qva enim vi consequentiæ coget nos ad illum ordinem, ut dicamus, *primò Christum accepisse panem, deinde mutasse panem, affirmando, hoc qvod in manibus habuit, esse corpus suum, factumq; esse panem & corpus Christi: tertiò fregisse, qvod habuit in manu*, id est, *panem, qvamvis jam habuerit in manu panem & corpus suum; qvartò dedisse discipulis utrumqve: dixisse qvintò de utroqve dato, accipite utrumqve: sextò comedite utrumqve, non tamen eodem modo, sed panem ore accipiendo, hoc enim sufficere ad comestionem: septimò addidisse, hoc enim est corpus meum, ideò comedetis. Qvale argumentum?*

Nam

Nam sanè nostrum non est, momentum definire, qvo corpus Christi cum pane in unionem sacramentalem divina potentia datur, & speciali ista ratione rei terrenæ præsens esse incipit. Necesse non est, illicò atqve Christus panem in manus suas sumsit & benedictione consecravit, accessisse in unionem sacramentalem cum pane, etiam ante fractionem seu præparationem ejusdem ad commoditatem distributionis. Sicut cum panes benedixit Christus, non illicò aderat multiplicatio, sed illa in ipsa distributione demum emersit. *Matth. 15, 36. &c.* Sic & sufficit, si dicatur, in ipso porrectionis actu, ubi verba ipsa porrigenti Christo respondebant, unionem illam & sacramentalem præsentiam Christum summum Sacerdotem & admirabilem sacrificii sui dispensatorem operatum fuisse. Itaqve nihil timendum corpori Christi à fractione, qvæ & merè præparatoria actio tunc fuit, ob dispositionem panis necessaria. De comestionis modo superflua est commonefactio. Edulia percipiuntur pro modo suæ existentiæ. Est autem irrefragabile argumentum, sæpius, piè, religiosè ad manducandum panem eucharisticum accedendum, *qvia est corpus Christi.* Qvem enim non moveat ad desiderium Eucharisticæ manducationis tam admirabilis, tam singularis, tam incomprehensibilis præsentia corporis Domini? Oportet eam efficacem, salutifluam, vivificam esse. Inæstimabilis & incomparabilis est hic novus præsentiæ Dominicæ gradus. Nullo modo committere debemus, ut ille nobis eripiatur aut obfuscetur. Sed tuus Disputator istâ ad cerebri sui somnia factâ numeratione actuum sacramentalium supersedere potuisset. Purè & simpliciter nobis fluunt omnia. Voluit summus Sacerdos noster JESUS de sacrificio suo nobis dare; & qvidem primò corpus suum. Tali modo non antea se dedit. Tali modo nunqvam id dedit. Est enim nova datio, nova condescensio, nova præsentia. Angeli cupiunt introspicere, qvid Consiliarius inexhaustus moliatur. Utitur occasione agni paschalis, vetera cum novis permuturus. Positum in convivio panem & obvium sumit. Benedicit ad actum futurum talem, qvalem cœlites hactenus non conspexerunt, qvem Patri suo cœlesti immensa pietate commendat. Fregit itidem ad actum futurum, utpote grandiorem & ideò in partes

comminuendum. His præstitis, cum ritè adornata essent omnia, arcanum se prodidit. Datur panis hospitibus, sed datur explicatus & illustratus summi sacerdotis voce, qvod non sit tantum panis, sed & adsit hîc novo consilio, modo abscondito, corpus ejus salutiferum. Assidet corpore ad mensam. Hospites singulis momentis de eo amittendo sunt solliciti, postqvam eum toties præconem mortis suæ audiverunt. Non cogitarunt, qvod hactenus umbris futurorum bonorum occupati fuerint, & nunc esset tempus, qvo corpus adsit & permansurum sit. Ille paschalibus typis & umbris sublime qviddam & expressum surrogat, scil. corporis sui præsentiam, cujus agnus hactenus proposuit umbram. Eam in sacramento cum pane sanxit, ne de ejus abitu seqviora conciperent. Cogitare illos voluit; *qvi sic cum pane novit corpus suum unire, ut non obstante visibili ad mensam extensione, diviniori ratione nobis se insinuet, de ejus morte & abitione non decet nos esse sollicitos. Infinitis & inexcogitabilibus ac impervestigabilibus modis præsens nobis esse potest ille, qvi adeò admirabiliter suum corpus nobis præbuit, qvi, ut simus de ejus apud nos commoratione securi, corpus suum nobis porrexit.* Qvadrant profectò omnia, nisi qvadratus sit, qvi ista capere neqveat. Altera sanctissimæ Cœnæ pars, eodem ordine disponitur. Adjecerunt Israelitæ *Cos hillel*, poculum benedictionis, non ut partem sacri paschalis, sed ut coronidem convivii. Christus novum adornaturus poculum, illi ipsi mandato suo id inseruit, & è mensa levatum benedictione singulari ad usum sacrum præparavit. Ita præparatum h. e. è regno potentiæ in usum regni gratiæ translatum, cum mandato bibendi discipulis porrexit. Simul & præceptum bibendi & oblatio poculi occurrerunt. Ita certissimi poterant esse hospites, se bibere id, qvod & sensus perceperat & qvod vox Christi dixerat, sc. cum vino sangvinem sui Magistri, summi Sacerdotis nostri. Rursus hic non est opus momenta præsentiæ disqvirere. Nec metuebant, ne exangvis interea ad mensam recumberet Magister. Altius assurrexerunt animi mysterii revelationi simpliciter acqviescentium. Qvid opus est dicere, uti Disputator tuus dicit: *Accepit calicem vini plenum, & postqvam verbo suo dicens, hoc, id est, id qvod est sangvis meus cum vino, qvod est in hoc poculo, fecit, ut esset*

vinum

vinum & sangvis suus, dedit poculum ac in eo & sangvinem suum & dixit, bibite de eo, qvod est in hoc poculo, omnes; aliqvid enim de eo est sangvis meus, vel cum ea, qvæ est in eo, parte est sangvis meus. Qvis ex nostris principiis talia evincet? Rectè Allobrox! *Qvalia dicam, nescio.* Falsò autem, cum ait: *Forte clarius expono mentem Doctorum tuorum, qvam qvisqvam eorum.* Ex corruptis namqve imaginationibus progreditur, cum ad momentum benedictionis præsentiam sacramentalem præcisè adstringit. Hinc non est mirum, nullum congruentem sensum, nullam cohærentiam deprehendi. Certè ita verba divina tractavit impuro ore tuus Disputator, ut ne totus qvidem lacus Lemanus ei eluendo sufficeret.

§. 34. Non enim verecundius tractat S. Lucæ verba, cum ex literali sensu, qvem nos urgemus, ita ea explicat. *Id in hoc poculo contentum, qvod est pro nobis effusum, id est, sangvis meus, per sangvinem meum est Novum Testamentum.* Qvis nos eò adiget, ut ad talem ἀδολεσχίαν patiamur sensum divinum redigi? Sunt verba Christi à Luca & Paulo assignata, qvasi αἰτιολογία & περιφρασις verborum, uti apud Matthæum & Lucam extant, *hoc est sangvis meus* &c. Cur enim id, qvod in S. Cœnæ parte altera porrigitur, est sangvis Christi, qvi pro nobis effusus? qvia poculum illud est nova divina dispositio testamentaria. Novum enim Testamentum ὅλως consideratum continet etiam particulares καινὰς διαθήκας. Hinc Ephesii dicuntur *c. 2, 12.* ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας. Sic καινὴ διαθήκη est lavacrum regenerationis. *Ephes. 5, 26.* ἐπερώτημα bonæ conscientiæ in Christum. *1. Pet. 3, 21.* Et dispositio divina circa panem est omninò καινὴ διαθήκη Qvo respectu verò est nova testamentaria dispositio? respectu sangvinis, qvem ipso bibitionis actu infallibiliter porrigit. In se poculum sive vinum ad διαθήκας Dei non pertinet. Sed in hoc sanctissimo actu est καινὴ διαθήκη, ad qvam vinum accersitur, cum qvo sangvis JESU unitè exhibetur, & propter hunc sangvinem est hìc καινὴ διαθήκη. ἐν αἵματι, propter sangvinem. ἐν pro *propter.* Conf. Glass. *gramm. s. p. 502.* Hæc sanè sunt clarissima, & Disputatoris opinationem planè evertunt. Si enim ipsum poculum eucharisticum

charisticum est nova testamentaria Domini JESU dispositio, idq; propter sangvinem ejus pro salute orbis effusum, tunc poculum non erit merum & tantum Vinum, qvod adumbrationem & similitudinem aliqvam habet ad vinum haustum. Certè prout apud Lucam & Paulum verba Christi expressa sunt, nunqvam hanc sententiam efficient, *sangvis meus pro salute orbis effusus est sicut poculum hoc.* Id potius evidenter ex illis fluit, poculentum ex usu vulgari & regno potentiæ ad usum regni gratiæ exaltatum, nova qvadam dispositione Salvatoris, dare sangvinem ejus in ipso usurpationis actu.

§. 35. Falsum autem est, qvod 1. notat Collator, Lucæ explicationem facere, ne Hoc apud S. Matthæum qveat denotare *Complexum:* qvia qvod apud Matthæum est *Hoc*, apud Lucam est τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Nam τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον pertinet ad prædicatum, qvod Collator novo commento subjectum facit, sive ad πτῆριον referatur, sive ad αἷμα. Si primo modo referatur, ita sanè collocandum erit: τὸ πτῆριον, qvod ego vobis bibendum trado, qvod vos hauritis, est novum Testam. in sangvine meo, & (propter sacramentalem sangvinis mei ad essentiam realem) pro vobis effusum respectu illius sangvinis mei, qvod nova dispositione, connexâ cum vino dispensatione, porrigit. Et placuit hic modus B. Luthero in Confess. *de Cœna Tom. 3. Jen. german. p. 494. & seqq.* Flacio in glossa *comp. Luc. 22, 20.* D. Feurbornio *Conc. V. de Cœna germanic. p. 17.* qvibus id potissimum curæ fuit, ut calumniam s. textus effugerent, qvam repetiit Beza annot. major. h. l. cum ait: *Cum hæc verba, si constructionem spectemus, necessariò non ad sangvinem, sed ad poculum pertineant, neqve tamen de Vino, nedum de poculo intelligi possint, aut manifestum est solœcophanes, cum legendum fuerit* τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, *ut legit Basilius in ethic. def. 21. aut potius cum hæc essent ad marginem annotata ex Matthæo & Marco, postea in contextum irrepserunt, qvod eò qvidem facilius est admissum, qvod cum in superiori vers. adscriptum esset,* Τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, *id est, qvod pro vobis datur, simile qvippiam visum fuit adjiciendum, ubi agitur de sangvine.* Neqve enim irreptitia in s. contextum verba illa dici, permittere voluerunt, neqve solœcophanes

phanes admittere, qvia per unionem sacramentalem τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον ad poculum actu exhibitum referri optimè qveat. Atqve hoc etiam Heinsio ante qvinqvennium in Exercit. ad N. T. p. 192. placuit; ait enim, *plenam Orationem apud Lucam non esse, mentem & orationem integram esse,* Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου. Τοῦτο, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Ut,* inqvit, τὸ Τοῦτο *repetatur. Neqve enim magis mirum est, poculum aut qvod in eo, dici sanguinem, qvam novum fœdus, & qvidem in sanguine. Et qvid? An aliter Marcus loqvitur?* Καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον, εἶπεν αὐτοῖς, Τοῦτο ἐστι τὸ αἷμά μου. & deinde τὸ ὑπὲρ πολλῶν ἐκχυνόμενον. *qvomodo ferè ad verbum Matthæus. Hoc sanè malo, qvam ut vel ejicienda vel aliunde hic inserta qvædam existimem. Singulos enim S. Scripturæ apices, qvantum potest fieri, & nisi aliud vel libri præscribunt, vel necessitas, tuendos arbitror. Sed nec inter eos sum, qvi temerè vel σύλοικα vel ὑποπλοικα in sacris admittam. Qvod, si vel concisi Hebraismi, vel in qvibus deest aliqvid, eo loco habendi, qvid in his excusari poterit?* Vides, etiam Heinsio arbitro, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον ad ποτήριον relatum, nostro interpretandi & collocandi more, ad prædicatum pertinere. Si verò ad αἷμα referatur, extra dubium ad prædicatum pertinebit. Ad sanguinem autem referunt D. Lutherus *in translatione,* Syrus & Arabs. *Solœcismus,* inqvit contra Bezam suum Lud. de Dieu *Comm. in S. Luc p. 374. autem propterea nullus hic statuendus. Obliqvus enim casus absqve solœcismo verti potest interdum in nominativum. Qvia cum hic initium sit & fons reliqvorum casuum, adeoq; in lingva Hebræa, ubi nulla est casuum variatio, omnium locum tenet, hæc ei prærogativa conceditur, certè apud Hellenistas, ut reliqvorum casuum vicem interdum suppleat.* Adducit *Eph. 3, 17.* ubi ἐῤῥιζωμένοι & τεθεμελιωμένοι refertur ad ὑμῶν, pro ἐῤῥιζωμένων καὶ τεθεμελιωμένων. *Apoc. 1, 4.* ubi ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος ponitur pro τοῦ ὄντος, καὶ τοῦ ἦνομένου καὶ τοῦ ἐρχομένου. *v. 5.* ubi ὁ μάρτυς &c. ponitur pro τοῦ μάρτυρος τοῦ πιστοῦ, τοῦ πρωτοτόκου καὶ τοῦ ἄρχοντος. *Joh. 1, 14.* πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας refertur in nominativo ad genitivum μονογενοῦς,

pro πλήρες, vel ὃς ὑπὲρ πολλῶν &c. Sic & h. l. ὃ, sc. αἷμα, ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Planissimè. Facit autem ad determinationem sangvinis, ut constet, in illam novam, qvam circa Cos hillel poculum eulogias Christus instituit, dispositionem introduci præter vinum, qvod aliàs more solito fuit in poculo, verum sangvinem suum, qvi pro nobis effusus est, non typicum qvendam, aut analogicum. Non tamen illi propterea falsum committunt, qvi τὸ ἐκχυνόμενον ad poculum referunt, aliàs & Heinsius falsum committeret. Animadvertis hoc, mi Arisæe, ex iis, qvæ superius dicta sunt; ex qvibus etiam intelligis II. in nostra resolutione verborum S. Lucæ, non esse tavtologiam, qvasi diceretur, *Sangvis meus est novum Testamentum per sangvinem meum*. Non enim sangvis hoc loco subjecti locum occupat, sed τὸ διδόμενον datum sive porrectum sacramentale, & de hoc dicitur, qvod sit nova qvædam testamentaria dispositio, non vinum simplex, cujus sensus testes sunt, sed & sangvis. Unde dicitur *nova dispositio in sangvine*. Non in substantia sangvinis præcisè & in se, sed in præsentia ejusdem & unione cum elemento, qvod ex cœlesti ordinatione adhibetur. Sic, Arisæe, vides vanitatem hominis Allobrogis, cum qvo tibi negotium fuit. Ἐπφύλλιδες ταῦτα ἐστι καὶ σωμύλματα, ut cum Aristophane dicam, qvæcunqve profert. Mirabor, si qvidem res ista tibi curæ est, si non pudebit te tuæ adversus fumivendulum illum sive consternationis sive admirationis.

§. 36. Audiamus nunc, qvid ex analogia fidei proferat, ut verborum institutionis inteepretationem nostram impugnet. Articulum fidei articulo fidei seu revelationi divinæ alteri opponit. Dicit, *nostram interpretationem lædere temerè articulum de Persona Christi: qvia illa dicit, qvod nos Christum non semper habituri simus nobiscum, qvod Christus abiturus sit ad Patrem, qvod sit relicturus mundum: qvod Christus fuerit in Bethania, assederit Hierosolymis mense, pependerit postea in Cruce, jacuerit in sepulchro, gavisus fuerit, qvod moriente Lazaro non fuerit Bethaniæ. Hic*, inqvit, *consisto, donec me sacra Scriptura ulterius ducat.* Sed profectò, Arisæe, hoc modo à verborum S. Cœnæ interpretatione, qvæ hactenus invicta stetit, neminem dimovebit Disputator audaculus. Qvomodo enim

e Persona Christi.

absentia

absentia Christi, qvæ ex locis Scripturæ istis colligitur, præsentiam ejus divinam, gratiosam, singularem, clarissimè promissam evertere potest? Nonne enim Christus loqvitur de desitura præsentia tali, qva hactenus in forma servi inter homines conversatus est, qva familiari alloqvio, conversatione qvotidiana, in exqvisitissima obœdientia erga Patrem suum, usqve ad mortem adfuit mortalibus, *Phil. 2, 7.* Sic certè non semper debuit adesse. Qvomodo autem seqvitur: *Christus abibit ad patrem, mundum relinqvet, non semper eum, qvi eum tunc sibi præsentem habuerunt, habebunt:* E. *Neqve in mediis salutis, inprimis sacramentis, neqve in regno gratiæ ullo modo juxta humanam naturam etiam præsens erit.* Nonne enim pollicitus est, se in qvavis congregatione fidelium futurum? se nobiscum futurum usqve ad consummationem seculi? *Matth. 18. & 28.* nonne promittit reditum suum ad nos & se ad amatores suos & observatores verborum suorum cum Patre suo adventurum & mansionem facturum? *Joh. 14, 18. 23.* Neqve sanè decuit eum, qvi Rex, qvi Sacerdos, qvi Propheta, qvi caput nostrum semper est, eo modo ad Patrem cœlestem ire & mundum relinqvere, sicut fidelia ipsius membra mundum relinqvunt & ad patrem cœlestem abeunt. Nimirum mundum relinqvere debuit, ut augustius & divinius impleat, ad patrem suum ire, ut cum patre suo inter nos sit & operetur omnia. *Joh. 5, 17.* non *inter nos* esse, ut *in nobis* sit cum Patre & Spiritu S. Et uti ex absentia tali ad absentiam simpliciter pessimè intulit tuus Collator, ita etiam à positione præsentiæ unius, sc. illius, qvæ in forma servi consummata, ad præsentiam omnem aliam negandam contendere velle, ineptum est. Hæc in *Anti Cog. Dissert. 3. ad thes. 9. §. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.* satis expensa, debuisses introspicere, mi Arisæe, anteqvam istiusmodi vulnus in animum admitteres. Interim apud conscientiam tuam expendere debuisses piè, qva fronte, qva fiducia qvis Christo etiam in forma servi obambulanti opponere potuerit & dicere, *tu minaris nobis, optime Magister, quod non semper inter nos futurus, sed mundum relicturus & ad Patrem abiturus sis, hic nos subsistemus, nec patiemur nos à tuis præsentibus verbis ulterius deduci, ut credamus, te posse nobis præter hanc, qvam subtracturus es, aut etiam nunc velle præsentiam*

aliqvam divinam, singularem, mysticam largiri, qva cum pane fruamur corpore tuo substantialiter ad singularissimum actum nutritionis animarum nostrarum apud nos in his terris prasente, aut etiam sangvine tuo. Tù nuper fuisti in Bethania, nunc hîc es Hierosolymis, nos ultra non progredimur, ut credamus, te etiam in cordibus nostris habitare per fidem (ut medium receptionis tui gratiose præsentis, non ut tui vicarium) Eph. 3, 17. *te etiam secundum eam naturam, qva hactenus nunc hîc, nunc alibi fuisti, esse in his terris in Sacramentis tum Baptismi, tum Cœnæ. Tu nunc assides mensæ, qvod oculi nostri vident, manus palpant, aures audiunt. Non tam insensati sumus, ut tua verba ita capiamus, qvasi tu nunc hîc in hoc momento, qvo nunqvam Te non videmus, nobis cum pane corpus, cum vino sangvinem tuum nobis communicares. In has te coarctari angustias permittere non possumus.* Qvomodo qvi ita committit sacras literas invicem, coram tremendo tribunali divino substiturus sit, nisi resipuerit, non video. Non consistet.

§. 37. Utile fuisset, mi Arisæe, si hic qvæ de persona Christi *in AntiCog. Diß. 1. p. 41. & seqq. & dissert. 3. p. 138. & seqq. & diß. 6. p. 230. & seqq.* commonefecimus, perlegisses & sic animum corroborasses tuum. Risisses procul dubio ineptissimum blateronem. Nam qvod I. fingit, nos ex unione personali, qva suam subsistentiam ὁ λόγος communicavit assumtæ suæ humanæ naturæ, argumentari, *ubi est subsistentia s. personalitas filij Dei, ibi est etiam ejus humanitas, seu corpus & sangvis Christi. At subsistentia filij Dei est in pane & vino.* E. &c. magnam nobis facit injuriam. Nos enim religiosè præsentiam duarum in Christo naturarum ad se invicem, ἀδιάστατον, ἀδιαίρετον, ἀδιάσπαστον, qvam veteres περιχώρησιν vocant, nostri *præsentiam intimam*, à præsentia ad creaturas, qvam ὑπερύψωσιν, πλήρωσιν &c. scriptura vocat, qvæqve in scholis *præsentia extima* dicitur, distingvimus. Illa perpetua est: hæc cessantibus creaturis cessat. Et in hac ipsa gradus præsentiæ, *universalis, gratiosæ* tum in mediis, tum in hominibus media ista complexis, & *gloriosæ* secernimus, qvod in præfatione AntiCogentiana *ad Serenissimum Principem Augustum Brunsvicensem* latissimè deduximus. Itaqve candorem in Allobroge desideramus. Interim majestatem & virtutem

tutem Christi, qva homo Christus suum nobis corpus & sangvinem tanta ratione dispensare potuit, ex infinita personæ Filii Dei excellentia haurimus.

§ 38. II. Prodit ignorantiam in Philosophia & Theologia, qvando de subsistentia ita destomachatur. *An, qvid de subsistentia loqvamini, intelligatis, nescio. Ego qvidem non intelligo. Ex Philosophia id, qvod nihil est, adsciviſſe videmini. Ajunt Philosophi, unius cujusq; rei unam esse subsistentiam, per qvam ita existat, ut non sit in alio, & sine qvo essentialiter esse neqveat, ut homo. Si hoc volunt, qvod subsistentia sit id, per qvod omnia, qvæ ad substantiæ completæ, qvam vocant, essentiam concurrunt, ita sint unita, ut eorum alterum non sit sine altero, non tamen tanqvam in subjecto, & ab omni alio divisum, concedo: sed nihil aliud dico, qvam unionem substantiarum ad unum subsistens, aut personale. Et sic divinitas cum humanitate in Christo est unita: Neutra enim est sine altera, sed ita sunt unitæ, ut unam personam constituant, qvæ non sit in alio & ab omni alio divisa. Si verò hoc volunt, esse aliqvid omnibus partibus substantialibus commune, cujus beneficio omnes existant, & eo remoto non consistant, & tale debere esse etiam vos vultis in persona Christi, nego talem in mundo dari subsistentiam, affirmo contra unamqvamqve partem existere & consistere per essentiam suam: neqve enim unio facit, ut res existat, sed ut unita existat, vel cum alio* Sed nolo istis describendis pluribus defatigari. In gratiam tui adscribam, qvæ An. Chr. cIↃ IↃc xxiv. in Academia Jenensi de Subsistentia docui. Ita autem *in considerat. Metaphyſ. lib. 2. cap. 3.* dictavi: *In I. substantia considero duo:* I. *Ipsam naturam substantialem integram & perfectam.* II. *Subsistentiam. Sicut enim in Deo considero* 1. *communicabilem essentiam infinitam & perfectiſſimam.* 2. *Tres hypostases seu subsistentias ab ipsa essentia simpliciſſima realiter non differentes, & eandem sine ulla divisione ad tres personas qvaſi limitantes: ita in creatis etiam substantiis natura à subsistentia secerni potest.* Ex natura igitur & subsistentia q constituitur omnis prima substantia creata, qvæ communiter suppositum vel ὑφιστάμενον vocatur, ubi verò natura est intellectualis, persona vocatur. Persona enim fit per incommunicabilem subsistentiam naturæ intellectualis. *Persona* deniqve & *suppositum* differunt non formaliter in incommu-

nicabilitate subsistendi, sed materialiter ratione naturarum, in qvibus incommunicabilitas fundatur. *Subsistentia* verò est modus substantialis naturam substantialem ultimò terminans, constituensq; rem per se subsistentem & incommunicabilem. De *creata subsistentia* loqvor. *Divina* enim *subsistentia* ob infinitatem perfectionis est communicabilis, ut nos docuit summum & ὁμολογουμένως μέγα τὸ εὐσεβείας μυστήριον, Θεὸς ἐφανερώθη. Distinctio inter *subsistentiam* & *naturam* in ente creato non est rationis: qvia aliàs qvando humanitas Christi destituta propria subsistentia in infinitam & adorandam τὸ λόγου subsistentiam est translata, destituta tantum esset respectu qvodam rationis, & accessisset ei per illam communicationem infinitæ subsistentiæ tantum rationis qvidam respectus, qvæ indistinctio subsistentiæ & naturæ multarum hæresium autor est, & proinde malè à Durando *in l. 4. sent. dist. 34. q. 1.* Henr. Gandav. *qvodlib. 4. q. 4.* defenditur, ut benè monet Svarez *tom. II. Metaph. disp. 34. sect. 2. dist. 4.* Qvi autem destituti luce religionis Christianæ tantum rationis discrimen inter *subsistentiam* & *naturam* posuerunt, excusari possunt: qvia solius mysterii magni consideratio nos in hanc veritatem perduxit: nec habet etiam fundamentum in aliqva *negatione* tantum *communicabilitatis*, qvam addat supra naturam subsistentia, ita ut subsistentia solùm adferat *negationem dependentiæ* seu *actualis* seu *potentialis* ab aliqvo supposito alio. Ita enim sublime & glorioſum SS. Trinitatis mysterium obscuraretur. *Tres* enim SS. Trinitatis *personæ* nihil aliud denotarent, qvam *tres negationes*. Unde si in simplicissimis SS. Trinitatis personis subsistentia per solam negationem explicari neqvit, multominus in personis aut suppositis creatis per negationem subsistentiæ ratio explicari poterit. Ita etiam mysterium incarnationis ex parte τὸ λόγου obscuraretur. Esset enim humanæ naturæ in ejus infinitam subsistentiam assumtio solius negationis communicatio. Qvod ad tantum mysterium constituendum non sufficit. Obscuraretur hoc mysterium etiam ex parte humanitatis assumtæ. Dicimus enim λόγον assumpsisse humanam naturam, non hominem, ne personam dicatur assumpsisse: locutionum

autem

autem harum distinctio vana esset, si subsistentia per negationem constitueretur, & non potius notaret qviddam reale, qvod personam compleret, nisi impediretur per unionem personalem. Malè igitur cum Scoto suo in hanc absurditatem labuntur Johann. de Bassoliis *in l. 3. sentent. dist. 1 qvæst. 1. art. 1.* Franciscus Mayronius *ibid. q. 11.* Lychetus, Aureolus, Bielius, Occamus, Marsilius, qvos meritò taxat Svarez *l. c. d. 8.* Est proinde illud, qvod supra naturam addit subsistentia, aliqvid *reale & positivum.* Unde oritur etiam distinctio realis. Hoc reale superadditum, non rectè explicant ii, qvi ajunt, *illud esse conditiones & proprietates individuales.* Non enim de natura communi, sed singulari investigatur, qvid ei subsistentia superaddat. Nec illi satisfaciunt, qvi *subsistentiam* dicunt *ponere supra naturam accidens.* In humana enim natura assumta à λόγῳ sunt omnia connaturalia accidentia, qvæ ad naturæ perfectionem pertinent; & tamen impedita est subsistentia connaturalis ob infinitæ hypostaseos communionem. Imò λόγος communicando humanæ naturæ suam infinitam subsistentiam, non supplevit in ea tantùm accidens. Est enim unio personalis non accidentalis, sed substantialis. Distingvitur autem subsistentia à natura non solum in substantiis creatis materialibus, sed etiam immaterialibus. *Et post.* Subsistentia porrò non addit supra naturam ad constitutionem suppositi existentiam, sive illa dicatur extrinsecè, sive intrinsecè in supposito includi. Si enim subsistentia est superadditum reale ipsi naturæ ad suppositi constitutionem, est etiam intrinseca supposito. Et licet existentia dicatur intrinseca supposito, tamen qvia existentia ab essentia realiter non distingvitur, subsistentia verò distingvitur, ideò subsistentia non potest addere supra naturam existentiam. Unde & Christi humanitas propriam habet existentiam, non tamen subsistentiam: qvi propterea in ratione existentiæ & essentiæ univocè nobiscum homo est, qvia tamen persona est increata & admiranda ratione ex naturis duabus constituta, non habet nobiscum convenientiam univocam in ratione personæ, ut benè notat contra Fr. Zumelium *1. part. q. 3. art. 3. concl. 1.* Svarez *sect. 4. dist. 10.* Unde etiam subsistentia se non habet ad existentiam ut naturâ prius ad posterius, vel ut causa

ad for-

ad formalem effectum, ut vult Cajetanus. Cum existentia jam supponatur existente essentia, anteqvam subsistentia superadditur. Si autem sententia Cajetani vera esset, tum ablata aut impedita subsistentia in qvadam natura, auferretur & impediretur etiam existentia, & sic in humanitate Christi non tantum subsistentia, sed etiam existentia propria deesset. Hinc duplex unio humanæ naturæ cum τῷ λόγῳ intercederet, una subsistentiæ, altera existentiæ: qvarum prior, qvia est ad subsistentiam, est ad proprietatem personalem; altera, qvia est ad existentiam, qvæ nihil est nisi ultimus essentiæ actus, est ad proprietatem essentialem: unde porrò infertur, ratione posterioris unionis unitam esse humanam naturam cum eo, qvod est commune toti SS. Trinitati, qvod est absurdum & impium. Subsistentia igitur tandem nihil aliud est, qvam complementum naturæ ultimum in ratione existendi, qvod tanqvam terminus & modus existentiæ, naturæ in essentia & actu naturæ completæ superadditur. Existentia enim notat solam naturæ extra causas positionem, sine ulteriori determinatione, ut illa vel per se existat, vel innitatur alii. Subsistentia igitur notat modum existendi per se & sine dependentia sustentante. Patet hoc ex incarnationis mysterio, in qvo nihil aliud humanæ naturæ Christi ad complementum personalitatis deesse intelligimus, nisi modum existendi per se & non in alio. Unde subsistentia propria non est nova res in natura, sed tantum novus modus rei ad existendum taliter. Qvia igitur subsistentia est modus intrinsecus per se actu essendi, & apertam oppositionem habet eamq; proximam & immediatam ad modum existendi in alio, fieri non potuit, ut humana natura servatâ personalitate propria uniretur hypostasi τοῦ λόγου. Hinc subsistentia creata, tanqvam naturæ ultimus terminus & modus ita est definitus determinatusq; ad naturam, ut nullam aliam naturam determinare qveat, secus ac subsistentia τοῦ λόγου, qvæ increata, ideoq; ob infinitatem suam insuper creatam naturam terminare potest. Exinde etiam fit, ut, licet natura, sine subsistentia, divinâ potentiâ, conservari qveat, non tamen subsistentia sine natura conservari possit, qvia tantum est termi-

nus na-

nus naturæ creatæ & modus. Hæc & plura alia ad explicationem qvidditatis subsistentiæ ibi consideravimus.

§. 30. Tuus vrrò Philosophus Allobrox I. subsistentiam definit, *per qvam res ita existat, ut non sit in alio & sine qvo essentialiter esse neqveat.* Rursus, *qvod sit id, per qvod omnia, qvæ ad substantiæ completæ, qvam vocant, essentiam concurrunt, ita sint unita, ut eorum alterum non sit sine altero, non tamen in qvoqvam tanqvam in subjecto & ab omni alio divisum* Iterum, qvod *subsistentia nihil aliud sit, qvam unio substantiarum ad unum subsistens, aut personale.* Hæc sunt φορτικὰ ἀνάστατα. Nam 1. confundit subsistentiam cum essentia. Humana enim natura Christi essentialiter esse potest, licet non habeat propriam subsistentiam, sed subsistentiam τοῦ λόγου. 2. Loqvitur tantum de subsistentia compositorum sive unitorum, qvam unionem vocat. Qvid fiet de subsistentia simplicium? qvid de subsistentia spirituum immaterialium? 3. Horribiliter impingit in S. Theologiam. Negare enim non poterit, τὸν λόγον per æternam generationem habere suam subsistentiam. Fuit enim immutabiliter, & immutabiliter erit persona divina, à persona Patris & persona Spiritus Sancti distincta. Si verò subsistentia etiam est unio divinitatis cum humanitate, jam in persona Christi habebimus duas subsistentias, unam τοῦ λόγου æternam, infinitam, immutabilem: alteram humanitatis cum divinitate unionem. Aut igitur desiit subsistentia τοῦ λόγου æterna, aut venit etiam in novam subsistentiam, h. e. unionem. Et sic subsistentiæ dabitur subsistentia. Eruntq; in Christo duæ subsistentiæ, duæq; personæ. Imò qvia unio est etiam inter animam & corpus in humana natura, eaq; perfectissima, si subsistentia nihil præterea est, qvam unio, erit etiam unum subsistens & personale anima & corpus. Rectius unionis qværimus terminum. Unio enim non est subsistentia, sed potius ad subsistentiam. Subsistentia infinita τοῦ λόγου est unionis duarum naturarum in Christo terminus. Humana natura Christi non est ἀνυπόστατος, neqve ἰδιοσύστατος, sed ἐνυπόστατος, inqviunt pii Veteres. Joh. Damascen. de Orth. fide lib. 3. cap. 6. Ἐν τῇ ἐνανθρωπήσει τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας τριάδος θεοῦ λόγου φαμὲν

πᾶσαν καὶ πλέαν τὴν φύσιν τ θεότητ ἐν μιᾷ τ αὐτῆς ὑποστάσεων ἑνωθῆναι πάσῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, καὶ ὃ μέρος μέρει. *Confitemur in humanatione unius sanctæ Trinitatis Dei verbi & dicimus omnem & perfectam divinitatis naturam in una sui ipsius hypostaseon unitam omni humanæ naturæ & non partem parti.* Certè nisi unio duarum naturarum in Christo fiat in infinita subsistentia τ λόγου mysterium Trinitatis sacrosanctæ non conservabitur, sed qvaternitas introducetur. Et nisi dicamus, infinitam τ λόγου subsistentiam esse communicatam assumtæ humanæ naturæ, inexplicabile erit, qvomodo humanam naturam sibi τ λόγου divinitas ita habeat unitam, ut non etiam cum alia qvavis natura sive angelica sive corporea unita sit. Nam qvod dicitur, *per illam unionem neutram esse sine altera natura,* id de qvavis alia dici potest. Nulla enim creata natura est sine divinitate & divinitas non est sine creata natura. Qvod dicitur, *unionem illam ita esse factam, ut unam personam constituant, qvæ non sit in alio & ab omni alio divisa,* non sistit interrogationem. Qværitur enim iterum, in qvo id situm sit, ut humanitas & divinitas constituant unam personam. Dico de eo *in qvo.* Est ne aliqvid ex parte humanitatis, anne aliqvid ex parte divinitatis, anne verò resultat subsistentia ex utraqve natura? Si hoc, Ergò subsistentia erit partim creata, partim increata. Et rursus qværitur, *in qvo* creata & increata subsistentia uniuntur? Ex parte humanitatis nihil est, qvod terminare illam unionem personalem possit. Nam aut subsistentia creata, qvæ aliàs ex intimis naturæ perfectæ principiis resultat, ut in Petro, Paulo &c. apparet, etiam ex humana natura emersit, aut non. Si non, tunc non terminat unionem essentialem humanæ naturæ, tantum abest, ut unionem divinitatis & humanitatis terminare possit. Si emersit, & redibit difficultas, qvæ jam tacta est, nec tamen finita subsistentia terminare poterit unionem, in qvam infinita subsistentia etiam deducenda est. Imò & sic unio erit subsistentiarum. Erit ergò aliqvid ex parte divinitatis. Id erit autem essentia aut subsistentia τ λόγου. Non illa, qvia unio non fit in essentia. Ergò subsistentia τ λόγου erit id, in qvo fit unio. Hæc subsistentia non est, ut nugatur Disputa-

tor

tor tuus, *aliqvid omnibus partibus substantialibus commune, cujus beneficio omnes existant & qvo remoto non consistant.* Est ipsius Filii Dei æterna subsistentia, eiq; propria, qvæ per gratiam unionis communicatur assumtæ humanæ naturæ. Nec facit, ut existat, vel consistat divinitas, qvæ ex absoluta infinita perfectione existit & consistit. Neqve humanitati essentiam confert, sed eam assumit & terminat.

§. 40. Exempla, qvæ proponuntur, ineptissimè se habent. Nam qvod ab unione corporis & animæ essentiali depromitur, ad unionem hypostaticam non pertinet. Resultat ex intima perfectione animæ humanæ aliqva incompleta subsistentia, qvæ in unione cum corpore concurrit ad constitutionem completæ subsistentiæ, in qvam terminatur. Unione per mortem dissoluta propter immortalitatem anima in sua incompleta subsistentia conservatur, donec fiat redunitio cum corpore. Corpus autem exanime ut compositum aliqvid sive suppositum ex elementis conflatum resolvitur & diffluit. De forma cadaveris disputatio non est necessaria. Interim tamen non seqvitur, *subsistentiam humanam nihil aliud esse, qvam unionem* Unio est via ad subsistentiam, non subsistentia ipsa. Ex adverso illa creata subsistentia, qvæ animâ in statu suo naturali relicta ex intima perfectione essentiæ ejus resultat, cum anima Christi in infinitam τοῦ λόγου subsistentiam assumeretur, per superventum hujus q. retracta fuit. Aliàs in persona Christi duæ subsistentiæ suppositorum rationalium dandæ essent, una æterna τοῦ λόγου, alia humanitatis. Et unione soluta qvoad corpus & animam, anima non facta est ἰδιοσύστατος, ut hominis defuncti qvævis alia, sed mansit ἐνυπόστατος. Qvod ad corpus Christi in triduo mortis attinet, nec illud excidit ex infinita subsistentia. Unde opus non fuit, ut recedente anima introduceretur alia forma substantialis, uti putat Thomas Aq. in *1. part. summ. q. 50. art. 5.* qvem tota turma Thomistarum seqvitur. Conf. Fratrem Barthol. Medinam *ad l. cit. p. 609. & seq.* Etiam Franc. Svarez ad illum locum *Disp. 38. Sect. 3.* docet, *in instanti mortis fuisse in corpore Christi productam novam formam cadaveris, ne sc. alioqvi materia manserit sine forma substantiali.* Contra qvos disputant Henr. Gandavensis

 qvodl.

qvodl. 2. q. 2. Scotus *in 4. sent. dist. 1. q. 3.* Durandus à S. Portiano *in 3. sent. dist. 21. q. 2.* Marsilius Ingvenius *in 3. sent. q. 3. a. 1. & q. 13. a. 1.* Tannerus *Theol. Scholast. tom. 4. disp. 2. qv. 3. disp. 2. n. 34. & seqq.*

§. 41. De corporibus ab angelis assumtis etiam alia res est. Non enim uniuntur illa cum angelis ὑποστατικῶς, sed παραστατικῶς. Manentq; essentia & subsistentia ab Angelis distincta. Neqve igitur Philosophia nostra fallit. Et rectè se habet communicatio subsistentiæ filii Dei, qvam nos asserimus. Manet verò omninò altius qviddam, qvam qvod nos ex Philosophia sine Scriptura apprehendere possumus. Interim non sufficit ad latebras errorum præcludendas dicere, *Christum unum esse*. Nec Nestorius, nec Eutyches id inficiatus est. Existimavit tamen Ecclesia, è S. literis expressius declarandam esse illam unionem. Sanè qvando Disputator tuus dicit, dici posse, *humanitatem non habere ab unita divinitate, ut subsistat, sed à creante divinitate, qvod autem unum faciat non sola, sed cum divinitate, id unionis esse*, non nimis indulsit philosophiæ, qvi suos Dd. accusat, qvod nostræ Philosophiæ nimium indulsisse videantur, sed ἀκριβείαν prodit. Nam à divinitate creante habet humana natura in Christo, ut existat, ab unita autem divinitate habet, ut subsistat. Non enim creavit divinitas humanam naturam assumendam ἰδιοσύστατον, sed fecit illam Filio Dei ἐνυπόστατον: Nam ἅμα οὐσίᾳ, ἅμα θεῷ λόγῳ οὐσίᾳ. Confundit sc. parum philosophicè existentiam cum subsistentia. Svade ergò illi, mi Arisæe, ne *Physicam ex Genesi* conscribat. Si enim *est, qvi est*, procul dubio multa inepta docebit. Ineptissimum enim foret, si doceret, *productis è terra & aqva aliis creaturis non fuisse formas substantiales singulis concretas, sed tantum ornatum materiæ additum.* Sic ex terra & aqva tanqvam e sinu & camera, non autem velut ex materia prodiissent. Ineptissimum foret, *si doceret, bestiis è terra productis non novam formam substantialem inditam fuisse, qva jam antea subsistens materia novo subsisteret modo, sed aliis atqve aliis formis accidentalibus, qvæ subsistentiam non dant, discretam tantum.*

§. 42. Qvando asseveramus, λόγου propter unitatem subsistentiæ nusqvam in cœlo & in terra esse extra suam assumtam humanitatem

manitatem, loqvimur I. *Scripturæ congrua. Johan. 1, 14.* ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Non hoc verum est, in uno loco tantum, qvod λόγος σὰρξ ἐγένετο. Factum est qvidem Verbum Caro in his terris, in utero benedicto B. Virginis. Sed nunc non est in uno tantum loco factus caro. Ubi, ubi est λόγος, ibi, ibi est σὰρξ, ibi, ibi carnem suam sibi intimè habet præsentem. Si alicubi esset extra carnem, alicubi non esset factus caro. Nam alicubi esse factum carnem, & tamen ibi esse extra carnem, incompossibilia sunt. 2. *Analogiæ fidei consentanea.* Hypostasis τοῦ λόγου est indivisibilis, hypostasis eadem est etiam assumtæ carnis hypostasis. Ergò hypostasis filii Dei non habet tantum alicubi sibi præsentem suam carnem, à se terminatam, alicubi non habet sibi præsentem. Aliàs unio foret tantum παρεκτατική, non ἐνυπόστατος, Ex. gr. Spiritus S. in Jordane super Christum in corporali specie columbæ descendens non habuit sibi illam speciem intimè præsentem, cum oppositam aut distantem aliam partem orbis sive terrarum, sive etiam cœlorum præsentia sua impleret. Qvæ causa? Spiritus S. non assumsit τὸ σωματικὸν εἶδος τοῦ σωτῆρος in suam infinitam & indivisibilem hypostasin. Tantum παρεκτατική, non ἐνυπόστατος fuit unio. 3. *Omnipotentiæ divinæ consona.* Ea non debuit facere, ne unio personalis esset unio personalis. Potuit tamen efficere, ut unio fieret sine unitorum à se invicem distantia, aut, ut sic dicam, extraneitate: h. e. ut ubiqve λόγος non esset sine carne, extra carnem, non sibi intimam habens carnem: ut ubiqve esset in sua hypostasi infinita, ubi illa est. Tota sc. divinitas est unita carni ἐν μιᾷ τοῦ αὐτῆς ὑποστάσεων. Si itaqve tota est etiam extra carnem, non erit unita carni in una ejus subsistentiarum. Negat hoc qvidem tuus Collator: *qvia qvod extra est, est etiam intra, qvod verò intra est, unitum est: ergò etiam qvod extra.* Sed frustra: Qvod enim ita intra est, ut etiam extra sit, id non est intra per communicationem suæ hypostaseos. Sic *Spiritus Sanctus est in Petro, & extra Petrum in Jacobo. Et nihil est extra Petrum, qvod non etiam sit in Petro, nihil in Jacobo, qvod non sit extra Jacobum*, alio tamen præsentiæ modo. Cur hoc? qvia Spiritus S. Petro non communicavit

Contra Extra Calvinianorum.

ſuam infinitam hypoſtaſin per unionem perſonalem. Itaqve Spiritus S. extra Petrum non habet ſibi in Jacobo perſonaliter unitum Petrum præſentem. Extra unionem perſonalem eſt extra omnia, non excluſus, intra omnia, non incluſus Filius Dei. Qvod autem in unionem perſonalem aſſumſit, extra illud eſſe neqvit ſalva unione.

§. 43. Deniqve, mi Ariſæe, qvam celerem expeditionem locis Scripturis graviſſimis & æterna luce pleniſſimis impendit Allobrox. Tu autem circa locum *Matth. 28, 20.* tenere hominis præcipitationem debuiſſes & illi opponere, qvæ in AntiCogentio *Diſſ. 9. ad theſ. 28. §. 4.* ex viſceribus textus & antiqvitate veneranda annotavi. Paucis, contendere debuiſſes, I. Chriſtum promittere *præſentiam divinam & qvidem gratioſam.* Non enim eſt finitæ poteſtatis & creatæ præſentiæ, eſſe apud omnes & ſingulos fideles omnium locorum, omnium temporum, ad finem usqve mundi ſive conſummationem ſeculorum. At Chriſtus talem præſentiam promittit. Promittit ergò, ut divina præſentia reqvirit, & ſubſtantilem ſuam, divina gloria plenam & incomprehenſibilem, præſentiam, ſive adeſſentiam, cum gratioſa operatione ſive divinæ virtutis diſpenſatione. Talem enim reqvirit inſtitutio miniſterii & ſacramentorum inter omnes gentes diſtribuendi, v. 19. Non enim ſtare poteſt illud ſine divina præſentia. Sicut nec ſine infinita & divina poteſtate, qvalis eſt poteſtas in cœlo & in terra, ad qvam explicandam adhibere poteras, qvæ AntiCogent. *Diſſ. 1. §. 36. p. 43.* & in Pentadec. *diſſ. 4. th. 23. & ſeqq. p. 167. & diſſ. 5. §. 36. p. 220.* annotata ſunt. II. Chriſtum *eam divinam præſentiam etiam promittere ſecundum ſuam humanam naturam, qvia* 1. adeſſe omnibus fidelibus modo dicto eſt actus officii Chriſti Regii. Actus autem tales Chriſto juxta utramqve naturam competunt. 2. *Qvia* & adeſſe fundatur in poteſtate in cœlo & in terra in tempore data Chriſto, de qva v. 18. de qva AntiCogent. *diſſ. 8. §. 16. p 293.* Ea autem Chriſto ſecundum humanam naturam data, uti omnia in tempore data. 3. *Qvia* adeſſe hoc, ſeu nobiscum eſſe, eſt fundamentum perpetuationis prædicationis Evangelii & adminiſtrationis ſacramentorum, nominatim baptiſmi, usqve ad conſummationem ſeculi.

Locus Matth. 28 20. explicatur.

Imperatur

Imperatur prædicatio & baptisatio v. 19. qværitur, qvo nixa fundamento? Christus ait, *Ecce, ego sum vobiscum* &c. At Evangelii prædicatio non fundatur in Christo juxta Deitatem solùm, sed etiam secundum humanam naturam, per qvam ejus beneficia parta. Nec baptisamur in qvicqvam absens, qvod ad personam aliqvã SS. Trinitatis pertinet. Et baptisamur in filium Dei secundum utramqve naturam. 4. *Qvia hoc esse nobiscum* perenne Christus proponit ad confirmandam discipulorum suorum adorationem & extingendum metum carentiæ Magistri. *v.17. qvidam enim adorarunt*, utiqve secundum humanam naturam, secundum qvam eum redivivum viderunt. *Qvidam dubitarunt*, utpote metu amissionis occupati. 5. *Qvia* & secundum humanam naturam in consummatione seculi nobis præsens futurus est, qvanqvam φανερωθεὶς. Cur non etiam χωρὶς φανερώσεως apud nos esset, secundum humanam naturam usqve ad consummationem seculi? Qvæ ex *c. 18. Matth. v. 20.* objicit, non labefactant dictum. Loqvitur enim ibi Christus de gratiosa præsentia. Ea autem est prævenientis gratiæ, qvæ facit in nomine Christi congregatos, non præsupponit, qvod ad concomitantem pertinet. Benè ex Joh. Chrysost. Theophylactus. *Non dixit*, ERO, *Non enim tardat vel cunctatur. Sed* SUM, *h.e. jam illic* INVENIOR.

§. 44 Loci ad *Eph. 4, 10.* vim è visceribus textus erutam haurire potuisses ex Pentadecadis *disp. 14. th. 59. p. 520.* &c. & sufficienter cognoscere, & de divina universali substantiali præsentia ibi sermonem esse, & eandem Christo secundum humanam naturam tribui. Cap. 1. ad Eph. v. 22. 23 non loqvitur de donis exclusa adessentia substantiali. Asseritur enim ibi duplex πλήρωσις; alia est πάντων, sc. hujus & illius seculi v. 21. qvæ subjecta sunt pedibus Christi v. 22. alia est τῆ ἐκκλησίας πλήρωσις, cui Christus est datus κεφαλὴ. Est enim Christus κεφαλὴ τῆ ἐκκλησίας propriè & principaliter, *Eph. 4, 15.* sed tamen, cum sit caput Ecclesiæ, est simul Dominus ὑπὲρ πάντα. *C. 1, 22.* Evidens ergò discrimen est inter τὰ πάντα, qvæ subsunt Christo, qvibus substantialiter adest, qvod requirit

Locus ad Eph. 1, 20 explicatur.

reqvirit subjectio sub pedes, & inter τὸ σῶμα Christi. *v. 23.* de hoc nunqvam dici potest, qvod, qvà tale, sit subjectum pedibus Christi. Eatenus igitur non refertur ad τὰ πάντα. Unde & liqvet, *Eph. 1. v. 22. 23.* non de impletione donorum tantum sermonem esse.

§. 45. Qvid *sessio ad dextram* Calvinianis facessat negotii, ut antiqvorum monumenta taceam, vel *thronus Christi regalis*, & ei contra Calvinianum Scholasticum adjunctum *Sceptrum Regale* D. Johannis Schröderi testis esto. Sed & qvatuor disputationes *de sessione ad dextram Dei* in Pentadecade *n. 12. 13. 14. 15.* id compendiosè conficiunt. Nolo qvicqvam superaddere. Manet apodixis invicta contra portas inferorum. *Secundum qvam naturam Christus sedet ad dextram Dei omnipotentis & omnipræsentis, secundum eandem omnipotenter & omnipræsenter apud omnes creaturas operatur, & in regno gratiæ adest, ubi cœlestis dexteræ auxilio opus est.* Ratio est, qvia sessio ad dextram Dei nihil aliud est, qvam omnipræsentis & omnipotentis regimen apud omnes creaturas & ibi maximè, ubi apud Dei Patris omnipotentis dexteram fidelibus infinitum facessit negotium Satanas. Vide Disp. 12. 13. 14. *At Christus secundum humanam naturam sedet ad dextram Dei Patris*, qvia per jussum divinum ad eam sedet. *Psalm. 110, 1. Vide Disput. 15.* Ergò *Christus secundùm humanam naturam etiam omnipotenter & omnipræsenter apud omnes creaturas operatur & ibi in regno gratiæ etiam adest, ubi cœlestis dexteræ auxilio præsentissimo opus est.* Eat hanc apodixin labefactatum Disputator tuus, si potest, sed ponderet fundamenta l. c. à nobis adducta. Qvid velit, cum ait; *Sessionem ad dextram, nisi separaveris phrasin, nihil nobis facessere negotij, pronuncio. Si separaveris, Sophista es:* non capio. Explicavi ego l. c. qvid sit dextera Dei, qvid sit sessio Deo tributa, qvid sit sessio ad dextram Christo tributa.

Locus Johan. 17, 5. explicatur.

§. 46. Locus *Joh. 17, 5.* rectè *de decretâ gloriâ ab æterno* loqvi dicitur: sed *decreta Christo secund. hum. naturam, & in tempore communicandâ, possessa autem apud Deum Patrem ab æterno secundum divinam naturam.* Joh. 1, 1. & 14. Aliàs si in universum de destinatione & decreto gloriæ interpretari perrexerit Disputator tuus, patrocinabitur

tur pudendo more Socino, qvi *contra Bellarm. & Wiek. p. 135. & seq.* eodem modo locum explicat, qvem confutavi *in Diss. de aterna Majestate Chr. ex Heb. XIII, 8. §. 34. p. 51. & seqq.* Poteris illam videre. Est enim annexa dissertationibus AntiCogentianis. Certè, ut paucis nervum dicti ostendam, Christus non dixit, se petere glorificari illa gloria, qvæ fuit apud Patrem, *antequam mundus esset*, sed *qvam* HABUIT apud Patrem: non de τῷ εἶναι gloriæ, sed de τῷ ἔχειν loqvitur. Adde & AntiCog. ipsum *Diss. 6. §. 15. p. 236.* Ea gloria non alia est, nisi divina & infinita gloria, *qvia* est gloria antesecularis, qvalis non est nisi infinita & divina: *qvia* est gloria Patris; *Matth. 16, 27. Phil. 2, 11. qvia* est gloria filii proprii & unigeniti, qvæ alia, qvam infinita esse neqvit. Conf. v. 1. & 5. *qvia* ea gloria est conjuncta cum ἐξουσίᾳ πάσης σαρκὸς. *v. 2. qvia* est gloria μόνου ἀληθινοῦ θεοῦ, *v. 3.* qvi est Pater & Filius *1. Joh 5, 20.* Ea autem Christo secundum humanam naturam debetur, *qvia* PETIT per eam glorificari. PETENDO autem secundum divinam naturam nihil consecutus est Christus, sed generando. Conf. Pentadec. *Diss. 15. §. 23. p. 548. & diss. 13. §. 70. p. 476.*

§. 47. Habes, mi Arisæe, qvæ ad Disputatoris tui scrupulos annotanda censui. Habes media, qvibus te argutiarum Lemanarum vinculis constrictum expedire poteris. Habes consilia, habes arma, habes auxilia. Dei omninò res est, qvam insolenter & protervè audaculus Allobrox traduxit. Sive tecum hæc mea retineas, sive illi communices legenda, mihi perinde futurum est. Si Theodoro Zvingero oppositа publicæ luci exposui, cur indignarer, qvæ tuo Disputatori respondi, eidem exhiberi. Itaqve per me licet vivas & non moriaris, etiamsi Calviniano legenda communicaveris, & omnia verba mea dixeris. Faxit vitæ Autor & mortis Domitor JESUS, ut benè & prudenter vivas in istis regionibus, ubi te imparem insultibus adversariorum sentis. Multi non periissent, si pericula vitassent. Noli timidius mecum deinceps agere, postqvam Te candidè moneri de iis, de qvibus,

ut monereris, necessitas flagitavit, animadvertis. Si qvid insuper occurrit, qvod serenitatem mentis tuæ in amplexu cœlestis veritatis turbat, ad me mitte, revelato deniqve nomine Tuo, ut candidius invicem agere possimus. Ora verò instantissimis precibus, ne Te Deus in tentationem deducat, si omninò rerum tuarum ratio ita fert, ut in terris inqvinatæ religionis Tibi commorandum sit. Peregrinam etiam habe religionem terræ illius, in qva peregrinaris, & cave ne te abducat à patria. Vale, mi Arisæe, & Viros, qvos supra nominavi, Amicos saluta meo nomine humanissimè. Dab. Argentorati, IIX. Cal. Apr. An. cIↄ Iↄc XLIV.

Tuæ felicitatis sempiternæ amantissimus

Johann Georg Dorscheus, D.

Επίμετρον.

QVemadmodum ea, quæ ad Augustinum Arisæum scripsi, plenissima quoad articulum de S. Cœna & Persona JESU CHRISTI consensione scripsi, ita & quæ in reliquis docui & etiamnum doceo, certissimus sum in exactissima me docere concordia cum meis in Academia Argentoratensi Collegis; præcipuè autem cum D. JOHANNE SCHMIDIO, meo in vigesimum septimum usque annum Collega, in quadragesimum autem Amico & sacrorum studiorum Socio, quæ ille aliquot ante me annos aggressus erat. Tanto indignor magis, cum passim mihi objicitur, quasi Juliani Novatoris partes amplexus esset. Unde non intermitto, quin sparsos rumores ad ipsum perscribam. Placet, unum alterumve ejus responsum hîc adscribere. Sic autem Argentorato XX. Apr. An. 1656. scripsit. Miror hominum impudentiam, qui me passim Calixtinismi insimulare non erubescunt. Nunquam Calixtum habui Præceptorem, nec ex ejus monumentis scientiæ Theologicæ hausi fundamenta. Viginti & amplius jam annos functus eram publico in Academia & Ecclesia munere, priusquam Calixtianæ controversiæ scandalis plenæ orirentur. Calixtum Virum doctum fuisse, sæpius dixi, sed novitatum Studiosum; Cui optarem, ut, quas singulares ex se habuit opiniones, secum fovisset, intra se clausas retinuisset, & secum curasset contumulandas. Hoc nuper, cum Illustrissimi Principis Brunsvicensis dexteram clauderem, præsentibus ex nobilitate plurimis, ut & Dn. D. IMMELINO & ipso Dn. V. - - - candidè repetii: hæc ad Dn. D. HÜLSEMANNUM ante plures scripsi menses. Benè itaque faciet, quo nomine etiam maximas Tibi gratias habeo, quod meam tueris contra mordacissimas & virulentissimas linguas, sive hîc, sive alibi reperiantur, innocentiam. Ego quoque consilia agito cum aliis, qua ratione pestilentissimorum hominum

num

um effrenatam audaciam reprimam. Repetiit eadem XI. Octobr. An. 1656. De me sive K. sive V. sive qvis alius spargat, Calixtianorum dogmatum me Defensorem, aut saltem Fautorem & Excusatorem esse, grandem mihi facit injuriam, qvo nomine scripsi ad Theologos Lipsienses, Gissenses, Witebergenses, alios, & virulentissimos dixi calumniatores, qvi hujusmodi calumniis famam meam arrodere, & in suspicionem aliqvam ἀποστασίας me trahere non verentur, qvam vocem hîc repetitam volo. Sic ille. Et haud difficile foret, singulis Julianis καινοδοξίαις ex illius Viri scriptis, imprimis disputationibus anniversariis, gravissimam adornare antithesin.

MATTHIA, Te sorte DEUS meliore beavit;
Crescis ad egregium svaviter ipse decus.
Prudenti credo PETRÆO tanta placebunt.
Ausus eximia credo juvabit ope.
Conferet ipse suum noster CORFINIUS augmen,
Adspiciens miti sidere mentis opes.
Propugna responsa, qvibus disploſa GENEVÆ
Machina, vix præter bombum habitura aliqvid.
Te DEUS ingenti porrò tueatur amore!
Certè non meus in Te morietur amor!

Scrib. benevolentiſſ. adfectu

PRÆSES.

MATTHIAS PETERSEN
Anagr. H. expir.
MIRA PETENS, TE SAT.

DUm MATTHIA PETRI, sacræ mysteria Cœnæ
Scrutaris, laudem, nomen & inde meres.
Nam sic MIRA PETENS *scrutari dogmata verbi*
TE *cultum firmas arte* SAT *esse sacrâ.*
Imò DORSCHÆUS Vir magni nominis à te
Stat, nec non cœptum comprobat omne tuum.
Perge locos sacros scrutari, solvere perge
Hæresin, & veri sic petra fortis eris.

JOANNES PETRÆUS,
COS.

Ad

Ad Præstantissimum

D N.

MATTHIAM PETRÆUM,

RESPONDENTEM

DE

PETRA EUCHARISTICA.

VErba: Hoc Est Corpus, nobis sunt *Petra Salutis*
Pro *Petrâ* hâc pugnans, nonne PETRÆUS
eris?
Sit JESUS tibi *Petra*: bibe hoc de fonte Salutem:
Qvis dubitet? *Patriæ* tu qvoqve PETRUS eris;
Sit felix! *gemini* mensuram nominis explę.
Jam *laurus* tibi, jam *palma* parata. Satin?
Honori & amori qvod debuit
L. M. Q.

A. VARENIUS, D.

AD PEREXIMIUM

DN. MATTHIAM PETERSEN,

Divinarum humanarumq; literarum
Studiosissimum:

NOn *satis est, multis Sophiæ clarere triumphis?*
Hoc satis est, inqvis: Lumen habere DEI!
Cum Benedictione scr.

BERNH. GOSMAN, D. P. P.
& Coll. Philos. h. t. DECANUS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740012614/phys_0090
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740012614/phys_0091
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740012614/phys_0092
DFG

Επίμετρον.

QVemadmodum ea, quæ
Arisæum scripsi, plenissima quoad a
Persona JESU CHRISTI c
quæ in reliquis docui & etiamnum doceo, certi
ma me docere concordia cum meis in Academia
præcipuè autem cum D. JOHANNE
in vigesimum septimum usque annum Collega,
tem Amico & sacrorum studiorum Socio, qu
annos aggressus erat. Tanto indignor mag
jicitur, quasi Juliani Novatoris partes amp
intermitto, quin sparsos rumores ad ipsum p
unum alterumve ejus responsum hîc adscrib
gentorato XX. Apr. An. 1656. scripsit.
dentiam, qui me passim Calixtinismi insi
Nunquam Calixtum habui Præceptorem,
tis scientiæ Theologicæ hausi fundamenta.
jam annos functus eram publico in Academ
priusquam Calixtianæ controversiæ scan
Calixtum Virum doctum fuisse, sæpius dixi
osum; Cui optarem, ut, quas singulares
fectum fovisset, intra se clausas retinuisset,
tumulandas. Hoc nuper, cum Illustrissimi
sis dexteram clauderem, præsentibus ex nob
Dn. D. IMMELINO & ipso Dn. V
hæc ad Dn. D. HülSEMANNU
menses. Benè itaque facies, quo nomine etiar
habeo, quod meam tueris contra mordacis
lingvas, sive hîc, sive alibi reperiantur, in
que consilia agito tum aliis, qua ratione

tinum
Cœna &
si, ita &
xactissi-
Collegis;
O, meo
num au-
ante ms
mihi ob-
Unde non
Placet,
tem Ar-
m impu-
ubescunt.
onumen-
amplius
munere,
rirentur.
n Studi-
piniones,
isset con-
nsvicen-
s, ut &
è repetii:
es scripsi
bi gratias
ntissimas
Ego quo-
m homi-
num

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
the scale towards document
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740012614/phys_0093
DFG